DE

M. VALERII MARTIALIS LIBELLORUM RATIONE TEMPORIBUSQUE.

PARS I.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE ROSTOCHIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALBRECHT DAU

GUSTROVIENSIS.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXXVII.

Referent: F. Leo.

FRIDERICO LEO

S.

Quaestionem illam de temporibus quibus M. Valerius Martialis epigrammaton libellos ediderit accurate constituendis proxumis abhinc decenniis saepius motam multisque modis tractatam denuo excipere si minus omnino supervacuum attamen nimis infructuosum primo obtutu videri potest. Quotquot enim temporum indicia et in ipsis epigrammatis latent et aliunde erui possunt ea magna iam ex parte L. Friedlaenderus cum primum talia indicia plus minusve occulta diligentissime indagaret attulit quaeque concludi inde posse ei videbantur ad tempora certius definienda in duobus composuit Academiae Regimontanae programmatis. [1])

Secutus est dein vestigia viri doctissimi H. F. Stobbeus qui omissis Friedlaenderi argumentationibus et investigandi ratione usus accuratissima totam de integro quaestionem instituit. [2]) Intentae Stobbei curae debetur quod multa quae omiserat Friedl. prospere complebantur, quae minus recte disputaverat ille emendabantur.

Quae adhuc supersunt disquisitiones singulorum tantum librorum tempora respiciunt: Mommseni illa in Hermae vol. III (a. 1868), ubi in excursibus B et C disputationis suae *Zur Lebensgeschichte des jüngeren Plinius* pauca in primis de libellorum X. XI. XII. temporibus attulit et O. Hirschfeldi in annal. Gotting. anni 1869 qui vocatis in auxilium fratrum Arvalium tabulis proxumis abhinc lustris

---

[1]) annis 1862 et 1865 foras missis.

[2]) Invenies Stobbei quas hac de re scripsit duas disquisitiones in Philol. vol. 26 (1867) et 27 (1868).

repertis nonnulla de temporibus librorum III. IV. V. VI. IX. palam fecit.

Quibus commentariolis usus totam denique quaestionem iterum retractavit Friedl. in libri *Darstellungen aus der röm. Sittengesch.* inscripti vol. III[5] pg. 424 sq., quaeque illic exposuerat immutatis paululum singulis sententiis in praefatione editionis Martial. proxumo abhinc anno in publicum datae pg. 50—67 iteravit.

Attamen in tanta doctissimorum virorum sollertia atque diligentia hucusque de singulis quibusdam libellis sub iudice litem esse iam ex annorum a singulis viris doctis computatorum indicibus multifariam inter se diversis satis dilucide apparet. Sunt enim missi in lucem:

auctore

	Stobbeo.	Momms.	Hirschf.	Friedl. in hist. mor.	in ed.
epigr. libellus	ca. annum 83.	—	—	primum anno 80. iterum non multo ante mensem Dec. a. 84 vel 85.	anno 80 (?).
libri XIII. XIV.	Saturn. a. 88—93 excepto a. 92.	—	—	m. Dec. a. 84 vel 85.	
I. II.	a. 86/87.	—	—	vel eodem temp. vel paullo post XIII et XIV (pg. 428) a. 86 (pg. 444).	exeunte a. 85 vel ineunte a. 86.
III.	aestate a. 88.	—	exeunte a. 87.	a. 87 vel 88.	
IV.	d. 24 m. Oct. a. 89.	—	exeunte a. 88 vel ineunte a. 89.	m. Dec. (Sat.) a. 88.	
V.	exeunte aestate a. 90.	—	med. a. 89.	auct. a. 89.	
VI.	a. 91.	—	ineunte a. 90.	aestate vel auct. a. 90.	

VII.	m. Dec. a. 92.	—	—	m. Dec. a. 92.	
VIII.	auct. a. 93.	—	—	med. a. 93.	
IX.	exeunte a. 94.	—	ineunte a. 94(?)	med. vel exeunte a. 94.	
X.	1. prior ed. exeunte a. 95.	—	—	mens. Dec. a. 95.	
	2. anthol. ex X et XI m. Febr. a. 98.	—	—	a. 97.	
	3. altera ed. vere a. 99.	ineunte vel med. a. 98.	—	med. a. 98.	
XI.	Saturn. a. 96.	m. Dec. a. 96.	—	m. Dec. (Sat.) a. 96.	
XII.	1. epigr. prius composita med. m. Oct. a. 101.	—	—	—	m. Dec. a. 101.
	2. epigr. Romam missa m. Sept. a. 102.	vere a. 101.	—	initio a. 102.	?

Haudquaquam igitur Alcinoo ut aiunt poma dabit si quis certiora quaedam indicia adicere conetur quibus vel minus accurate pervestigata suppleantur vel aperte falso disputata retegantur emendenturque. Hoc munus dum aggredior haud nescio in tanta indiciorum exilitate qua viri docti impediebantur ne densam caliginem oculis obvolutam perrumperent me quoque quaestioni tam intri-

catae non multum lucis adlaturum esse sed — licet saepius errore tenear, non enim tironi est dedecori aliquoties cadere ubi tot veterani exercitati titubaverint — hic iam illicve si caliginem dissipare mihi contigerit contentus ero. Quae igitur hucusque adsumptis adminiculis in primis et Suetonii Dionisque Cassii libris (vel Xiphilini Byzantini excerptis) et Statii Silvis Iuvenalisque satiris, lapidibus praeterea acta fratrum Arvalium exhibentibus aliisque eiusmodi vel libris vel titulis qui cum ad illa tempora plus minusve spectent spem saltem auxilii excitare possent eruere potuerim sequentibus paginis tradam, nam cur *periturae parcere chartae*?

CAPUT I.

De libri qui dicitur epigrammaton ratione temporibusque.

In 32 epigr. illis [1]) quibus compositus est Martialis spectaculorum vel secundum codices (cf. adn. 1) epigrammaton liber, varia ludorum in amphitheatro Caesareo spectatorum genera describuntur. Editum esse libellum a poeta ut amphitheatri dedicatio anno 80 facta celebraretur visum est praeter Raderum Schmiederumque Lipsio iam

[1]) Ep. 33 (cf. schol. ad Iuvenal. sat. IV 38 — ed. Buecheler. —) ne coniungatur cum praecedentibus impedire iam sensum eius Domitiano infestum luce clarius. Quod eo tantum tempore componi potuit quo Mart. librum XII edidit: tunc enim non iam temporum atrocitate impeditus saepius in Domitianum invehitur (v. XII 6^{11}. 15^{10}. al.), vel si mavis eo iam tempore, quo anthol. e libr. X et XI decerptam foras misit: increpatur enim iam illic quamvis paullo remissius Dom. (v. X $72^{1-4.\ 8-13}$; XI $3^{9/10}$; 7). Scholiasta Iuv. eodem iam quo nunc codices praebent loco legisse videtur epigramma. Nam hoc dixisse videtur: *meminit hoc Valerius Martialis in epigrammaton his versibus in fine* vel *in epigrammaton* [*libro quem*] *his versibus finit.* Certe solidum epigr. est. Quae modo dixi constant; ulterius vero progredi (cf. Friedl. ed. II pg. 217) indiciorum vetat exilitas.

in libr. de amphith. Borghesioque in Oeuvr. compl. III 382 (cf. Friedl. ed. vol. I pg. 134).

Stare hanc sententiam non posse iam vidit J. Kehreinius in Jahni annal. vol. suppl. IV pg. 541 sq. qui collecta vult esse haec epigrammata in honorem ludorum et a Tito et a Domitiano datorum composita a nescio quo et evulgata. Friedl. in hist. mor. III[5] pg. 425 utramque sententiam conciliarat: esse epigr. Titi spectacula celebrantia ab ipso Mart. collecta et edita; quibus postea ipsum fortasse poetam singula poematia ludos Domitiani efferendi gratia conscripta addidisse, ita ut epigr. nobis tradita ex altera iam editione essent decerpta. In commentariolo vero epigr. libello praemisso (ed. I pg. 134—140) rursus cautissime de libelli illius epigrammatum condicione iudicat: potuisse ait facillime conscripta esse omnia illa epigr. a. iam 80 ad celebranda munera tunc a Tito edita; haud tamen esse altera ex parte negandum fieri potuisse ut libello iterum edito carmina quaedam Domitiani munera efferentia apposita essent. Quae opinio nullis argumentis sustentatur: nusquam ne vestigium quidem alterius editionis a poeta curatae. Cum vero vir ille doctus antea (pg. 134/35) e consensione singulorum epigr. Valerianorum cum rebus a scriptoribus relatis ostendisse sibi videtur veri esse similius libellum istum T i t i munera amplecti optumo ei iure opponemus idem (id quod sequentes chartas esse confirmaturas confido) multo magis de Domitiano valere. — Sed iam singula quaeso accuratius perscrutemur carmina ut videamus utrum certiora quaedam temporum indicia in iis reperiantur necne.

Quae statim in limine posita sunt duo epigr. in quibus et amphitheatri et aliorum aedificiorum non multo ante — nam hoc docet ipsorum epigrammatum tenor — exstructorum mentio fit conscripta esse non possunt nisi T i t i tempore. Amphitheatrum enim re vera iam a Tito dedicatum esse compluribus e rebus conspicuum. Nam certe non est fortuito factum ut amphitheatrum et sequenti

epigr. (v. 5) et apud Suetonium in Titi vita c. 7[2]) et apud Dionem LXVI 25[3]) ante thermarum exstructionem commemoretur; immo, id quod Suetonii in primis verba infra allata docent, antequam thermae illae Titianae exstruerentur amphitheatrum erat dedicatum. — Praeterea iam in actis fratr. Arv. ad a. 80/81 pertinentibus (CIL. VI Nr. 2059 cf. Guil. Henzen *acta fratr. Arv.* pg. CVI sq.) sacrificio die III idus Maias relato subsequitur imperatoris edictum de *locis in amphitheatro adsignatis* (v. 25—34), quod edictum vota excipiunt die III nonas Jan. a. 81 facta.

Huc denique accedit quod duo illi probae notae[4]) nummi — alter Titi, alter Domitiani — quibus amphitheatri imago est impressa anno iam 80 cusi sunt (Eckhel., doctr. nummor. vet. VI pg. 357/58 et 375). Non igitur Domitianum aedificia illa sibi imputare potuisse[5]) mihi satis constat.

Nec minus certe sequens epigr. ad Titum tantum referri posse in aperto est. V. 5/6 amphitheatrum de quo modo diximus offertur; v. 7/8 thermae Titianae; nam

---

[2]) *Amphitheatro dedicato thermisque iuxta celeriter extructis munus edidit apparatissimum largissimumque.*

[3]) Τὸ δὲ δὴ θέατρον τὸ κυνηγετικὸν τό τε βαλανεῖον τὸ ἐπώνυμον αὐτοῦ ἱερώσας πολλὰ καὶ θαυμαστὰ ἐποίησεν.

[4]) Vespasiani nummos amphitheatrum in aversa gerentes cum sint artis recentioris genuinos esse non posse docet Eckh. l. c. pg. 340/41. De duobus aliis nummis eundem typum exhibentibus alter suspectus habetur (Eckh. pg. 359), alter qui iam in consulatu Titi septimo i. e. a. 79 amphitheatrum praebet perfectum aperte falsus est, de quo inspicias Eckh. pg. 360.

[5]) De qua Domitiani consuetudine cf. Suet. Dom. 5 *Plurima et amplissima opera incendio absumpta restituit: in quis et Capitolium quod rursus arserat: sed omnia sub titulo tantum suo ac sine ulla pristini auctoris memoria.* Sub *pristini* enim *auctoris* voce intellegendos esse patrem in primis Domitiani fratremque cum Imhofio (T. Flavius Domitianus, Halle 1857, pg. 84) facile crediderim respectu habito horum Aur. Victoris verborum (de Caes. XI): *Domitianus . . . multa opera inchoata per patrem vel fratris studio atque in primis Capitolium absolvit.*

thermas hic a Martiale commemoratas easdem esse atque Suet. illas in Titi vita c. 7 allatas iam ex eo dilucide apparet quod ut Suet. *celeriter exstructas* sic Mart. eas appellat *velocia munera*. Colossi vero v. 1—4 memorati mentionem faciunt Suet. breviter in vita Vesp. c. 18: *item — sc. Vesp. — colossi refectorem — donavit;* Euseb. ad a. 2091 i. e. septimum imperii annum atque paullo copiosius Dio LXVI 15: Ἐπὶ δὲ τοῦ Οὐεσπασιανοῦ ἕκτον καὶ ἐπὶ τοῦ Τίτου τέταρτον ἀρχόντων (i. e. a. 75 cf. Eckh. l. c. pg. 333/34; 355) . . . ὁ κολοσσὸς ὠνομασμένος ἐν τῇ ἱερᾷ ὁδῷ ἱδρύθη. Φασὶ δὲ αὐτὸν τό τε ὕψος ἑκατὸν ποδῶν καὶ τὸ εἶδος οἱ μὲν τὸ τοῦ Νέρωνος οἱ δὲ τοῦ Τίτου ἔχειν. Videtur Vespasianus filio sicuti alia multa (cf. Suet. Tit. 6 *recepta ad se prope omnium officiorum cura*) ita etiam curam restituendi colossi demandasse. Hoc si statuimus re vera accidisse facile comprehendimus Martialem colossi refectionem Tito soli vindicare potuisse. Eademque sicuti videtur ratione porticus Claudia[6]) (v. 9) cum Titi nomine coniungenda est.

De tertio iam epigr. paulisper dubitavi. Nihil enim expedit ad Caesaris personam certe definiendam quod ultimo versu Caesar appellatur *pater patriae:* Scimus Domitianum non minus quam Titum in publicis titulis nummisque illud cognomen gessisse (v. e. g. act. fr. Arv. a. 81 v. 45; a. 86 v. 39; a. 87 v. 30; Eckh. l. c. pg. 321 sq.; 356/57; 376 sq.). Friedlaendero tamen nunc adsentior statuenti epigr. tertio descriptos esse ἀλλοθρόους

---

[6]) De qua videas Dionis vit. Claud. LX 22 Μαθοῦσα δ' ἡ γερουσία τὰ κατειργασμένα αὐτῷ (sc. in Britannia) ἀψῖδα τροπαιοφόρον ἐν τῇ πόλει καὶ ἑτέραν ἐν τῇ Γαλατίᾳ γενέσθαι ἐψηφίσαντο et nummos ab Eckh. l. c. pg. 240 memoratos qui arcus illius imaginem gerunt; Aurelii dein Victoris in Vesp. vita verba haec: *Namque Romae Capitolium quod conflagrasse supra memoravimus, aedes Pacis, Claudii monumenta, amphitheatri tanta vis multaeque aliae ac forum coepta ac patrata.* Cf. Jordan, Topogr. der Stadt Rom im Altertum, II pg. 417/18; 487; eiusd. form. Urb. pg. 33 A et Friedl. adn. ad versum illum.

ἀνθρώπους illos qui undique Romam confluxerant ut munera amplissima a Tito a. 80 edita spectarent. Revera autem tam lauta fuisse illa munera ut ingentem barbarorum multitudinem allicere possent e scriptorum verbis concludere licet.[7]) Altera quidem ex parte Domitianum non modo ut triumphum Dacicum victoriasque Sarmaticas digne efferret apparatissima edidisse munera sicuti testificantur Dio LXVII 8 μετὰ δὲ ταῦτα (i. e. bellum Dacicum) ἑορτάς τινας νικητηρίους δῆθεν ἐπιτελῶν ἀγῶνας συχνοὺς ἐποίησε et Martialis (cf VIII 26. 30. 55. 78. 80; addas 50. 54 al.), sed etiam omni tempore talibus spectaculis indulsisse scimus, cf. Suet. Dom. 4 *Spectacula assidue magnifica et sumptuosa edidit, non in amphitheatro modo, verum et in circo.* Nec prioribus imperii annis defuisse ei occasionem cuius gratia tam magnificos ludos ut undique barbari Romam concurrerent spectaturi edere potuisset in aperto est. Opportunitatem satis idoneam qua talia munera ederentur Domitiano dedit triumphus Chatticus; suntque qui epigrammaton libellum edidisse poetam ut ludorum illa solemnia laudibus illustraret statuant veluti Stobbeus l. c. pg. 78 (quamvis dubitanter). Tertium tamen epigr. non magis si rectum video ad Domitianum referre licet quam priora duo. Nam permirum esset Martialem opportunitate canendae victoriae Caesareae data — praesertim cum v. 9. ipsi Sicambri[8]) memorentur — omisisse omnino cum

---

7) Dio LXVI 25 τὸ δὲ δὴ θέατρον τὸ κυνηγετικὸν . . ἱερώσας πολλὰ καὶ θαυμαστὰ ἐποίησε. Ac paullo post: ταῦτα μὲν ἐς ὄψιν ἥκοντα καὶ ἐφ' ἑκατὸν ἡμέρας ἐγένετο. Suet. Tit. 7: *Amphitheatro dedicato . . . munus edidit apparatissimum largissimumque.* Eus. ad a. 2095: *Titus amphitheatrum Romae aedificavit et in dedicatione eius V milia ferarum occidit.* Idem Eutrop. breviar. VII 21 extr.

8) Cum quibus una cum Chattis rem fuisse Domitiano e Iuv. sat. IV 144 sq. evadit:

misso proceres exire iubentur,
Concilio, quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos et festinare coactos,
Tanquam de Chattis aliquid torvisque Sicambris
Dicturus . . .

undique Caesari gratulationes honoresque decernerentur et ipse merita sua in caelum efferri vellet (Dio LXVII 4), rerum a Domit. factarum praedicationem (cf. VIII 26 $^5/_6$; 50 $^1/_5$; 54 $^1/_2$; 65 $^3/_6$. ^{11}.; 78 $^{15}/_{16}$ cet.).

De delatorum exilio quod quarto epigr. relatum est constat et Titum multasse perditos illos sceleratosque homines et Domitianum (prioribus scilicet annis, rabie insaniaque nondum exortis). Quam ob rem satis videtur difficile diiudicatu utrius Caesaris in nequissimos illos animadversionem Mart. hic laudaverit; loci enim quibus delatorum mentio fit exactorum [9]) cum in universum hac de re agant vixdum confidenter iudicandi ansam praebent ullam. Argumentum illud quo Friedl. in hist. mor. III[5] pg. 426 utebatur ut Domitiani hic delatores intellegi posse ostenderet si quis amplecti velit videat ne in errorem incidat. Collato enim illic Martialis illo *quae semper miseras sollicitabat opes* cum Suetoniano *fiscales calumnias magna calumniantium poena repressit* inde concluserat optume quadrare Martialis verba ad Suetonii de Domitiani delatoribus indicia. Iure enim meritoque dicemus

---

[9]) Integros eos huc apponam: Suet. de Tito 8: *Inter adversa temporum et delatores mandatoresque erant, ex licentia veteri. Hos assidue in foro flagellis ac fustibus caesos ac novissime traductos per amphitheatri arenam partim subici ac venire imperavit, partim in asperrimas insularum avehi.* de Dom. 9: *Fiscales calumnias magna calumniantium poena repressit: ferebaturque vox eius „Princeps qui delatores non castigat, irritat.“* – Dio Cass. de Tito (LXVI 21 extr.): τούς τε μηνυτὰς ἐξήλασεν ἐκ τῆς πόλεως. de Dom. (LXVII 1) οὕτω γὰρ ἄπιστος καὶ πρὸς αὐτοὺς τοὺς χαριζομένους τι... ἐγένετο, ὥσθ' ὁπότε τινὲς ἢ χρήματα αὐτῷ πολλὰ πρίσειαν ἢ ἀνθρώπους πολλοὺς συκοφαντήσειαν, πάντως αὐτοὺς ἔφθειρε, καὶ μάλιστα τοὺς δούλους τοὺς κατὰ δεσποτῶν τι μηνύσαντας. τῇ δ' αὐτῇ ταύτῃ διανοίᾳ καὶ προέγραψέ ποτε, ὅτι αὐτοκράτωρ ὅταν μὴ κολάζῃ τοὺς συκοφάντας, αὐτὸς σφᾶς ποιεῖ τοιούτους. Plin. paneg. (ed. Keil.) § 35 *Ingenti quidem animo divus Titus securitati nostrae ultionique prospexerat, ideoque numinibus aequatus est.*

illud plus minusve omnium eo tempore delatorum nec Domitiani tantum fuisse munus.[10])

Ad Titum immo epigr. quoque quartum referendum esse putarim, praesertim cum de publica quadam totius ut ita dicam ordinis delatorum poena[11]) in Domitiani vitis nihil memoretur[12]). Huc accedit (id quod Friedl. in hist. mor. III⁵ pg. 426 et in ed. I pg. 134 recte observavit), quod ad unum idemque respicere videntur verba fere eadem

Suetonii	et	Martialis:
ac novissime traductos		*Traducta est † getulis*[13])
per amphitheatri arenam		*nec cepit harena nocentes* —

[10]) Cf. Plin. l. c. § 35 *Ereptum alienas pecunias eunt: perdunt quas habent; expellere penatibus gestiunt: suis exturbentur* q. s.

[11]) Traianum quoque omnes simul delatores publice iustis poenis affecisse e Plinii §§ 34/35 elucet; cf in primis: *nihil saeculo dignius quam quod contigit desuper intueri delatorum supina ora retortasque cervices. Agnoscebamus et fruebamur, cum velut piaculares publicae sollicitudinis victimae supra sanguinem noxiorum ad lenta supplicia gravioresque poenas ducerentur. Congesti sunt in navigia . . et tempestatibus dediti* q. s.

[12]) Haud ausim certi quicquam concludere ex eo quod Plin. prorsus non delatores a Domitiano abactos esse memorat, nefaria enim tantum fere ubique odiosi illius principis facinora conviciis insectatur (cf. §§ 2; 12; 16; 20; 33 = Suet. Dom. c. 10; § 47 al.). Quamquam alia ex parte si quidem acrius Domitianus delatores animadvertisset mirum videri potest, cur Plin. ne eodem quidem modo quo postea pantomimorum exilium (§ 46), hic delatorum animadversionem leviter strinxisset.

[13]) Praeter pervulgata iam proposita illa a. v. d. versum supra appositum tractantibus in Friedl. ed. I pg. 145 allata, quae omnia irrita sunt, duae accessere paucis abhinc mensibus coniecturae eaeque non magis felices: A. Zingerlei scriptura *ferulis* (Zeitschr. f. östr. Gymn. 1887 fasc. I pg. 34) legibus non respondet sermonis Valeriani; nec K. Schenklio (deutsche Litt. Ztg. 1887, Nr. 5, pg. 162/63) *caculis* scripsisse poetam conicienti quisquam adsentietur. Alia nimirum via medela quaerenda est. Inter scripturas *Traducta est: Gaetula hic cepit h. n.* (de amphitheatri harena dictum nimirum) et *Gaetula hinc cepit h. n.* (i. e. traducti sunt delatores per amphitheatrum, dein peracto illo spectaculo in Gaetuliam i. e. Africam relegati) nutanti nunc mihi cum Fr. Leo scriptura *Traducta est: Gaetula excepit h. n.* in vitiosis latere verbis videtur.

Ep. 28 ad Titum tantum referri posse Friedl. recte vidit (hist. mor. III^{5} pg. 425). Concluserat hoc e versu 1, unde luce clarius apparet veterem naumachiam (Suet. Tit. 7; Dio Tit. 25) intellegendam esse. Domitianus enim testibus Suet. c. 4 et 5 et Dione LXVII 8 novam alio loco naumachiam effodi iussit. — Accedit huc quod quae versibus commemorantur 3—6

. . . Vidit in undis
Et Thetis ignotas et Galatea feras.
Vidit in aequoreo ferventes pulvere currus
Et domini Triton isse putavit equos —

optume quadrant ad ea quae Dio LXVI 25 de Tito refert: τὸ γὰρ θέατρον αὐτὸ ἐκεῖνο ὕδατος ἐξαίφνης πληρώσας, εἰσήγαγε μὲν καὶ ἵππους καὶ ταύρους καὶ ἄλλα τινὰ χειροήθη, δεδιδαγμένα πάνθ' ὅσα ἐπὶ τῆς γῆς, πράττειν καὶ ἐν τῷ ὑγρῷ κτλ.

Alia epigr. quae satis certe ad Titum referri possunt non puto inveneris: ad Domitianum compluria pertinere argumentis firmioribus probari potest. Friedl. in hist. mor. III^{5} pg. 426 unum saltem sine dubio Domitiani aetati addixerat: ep. 22, ubi rhinocerotis duplum cornu gerentis mentio fit, quae belua in nummo Domitiani tempore — quo anno nescimus — cuso expressa est cf. Eckh. l. c. pg. 393; alia veluti ep. 20 coll. cum ep. XII 29^{7}; 18 : I 104; 25 : XIV 181; 9 : XIV 53[14]) valere quicquam ad

[14]) Ne tali singularum sententiarum consensione confisi in devia deducamur caveamus oportet. Martialem enim saepius voces easdem similesve proferre neminem qui epigrammatis operam dederit fugiet simulque facile intelleget in epigrammatis quoque longo temporum intervallo disiunctis talia haud ita raro inveniri. Singulos locos consentientes in quos incurri cum interea iam a Friedl. in adn. allati sint non est cur adiciam. Facile possunt augeri: cf. I 108 : X 96; IV 82^{4}: X 64^{2}; IX 43^{5}: XIV 93; VIII 56^{4}: X 64^{4} al. — Kehreinio iam antea l. c. pg. 547 visum erat e *nuper* illo XIV 53 facile repeti posse carmen epigr. lib. illud 9 eodem fere tempore compositum esse quo liber XIV, tempore igitur circiter libri octavi nonive. Sed nimis est debile atque incertum tale argumentum.

tempus libelli accuratius constituendum iam in hist. mor. admodum cunctanter atque dubitanter concesserat.[15])

Alia tamen singula non minus certe Domitiani aetate conscripta esse concedemus, e quibus primum si placet in examen vocemus ep. 17:

Quod pius et supplex elephas te, Caesar, adorat
Hic modo qui tauro tam metuendus erat,
Non facit hoc iussus nulloque docente magistro:
Crede mihi nostrum sentit et ille deum.

Examussim perpensis et scriptorum et poetarum indiciis pro certo affirmare non dubito sub *deo* illo Domitianum tantum intellegi posse. Memineris quaeso ex imperatoribus primum iam Augustum ab adulantibus poetis compluries *deum* vocatum esse.[16]) Titulum dein illum cupide affectasse Caligulam Domitianum Diocletianum constat ex Aur. Victore de Caes. c. 39[17]); de prioribus duobus praeterea e Suet. et Dione[18]). Exceptis Tiberio (Vell. Pat. II 107[2]) Claudioque (Scrib. Larg. 42, 167) Neronem sequentesque ad Domitianum usque imperatores deos appellatos cultosque esse vivos nusquam invenies: unus tantum huc spectat locus: Lucani dico verba I 62 *Sed mihi iam numen.* Huc accedit quod vix scriptores Domitiani vitam enarrantes appellationem illam tanquam miram atque insolitam memorassent, si ipsi iam Caesares

---

[15]) In ed. iterum I pg. 136/37 quae illis de epigr. prius statuerat ullius esse momenti negat: equidem ut persuasum mihi habeam recta esse quae illic denuo argumentatus sit Friedl. commoveri non possum.

[16]) Singula si quaeres ap. Finckium: *de appell. Caesarum etc.*, diss. Regimont. a. 1867, inde a pg. 15 invenies.

[17]) *Namque se primus omnium Caligulam post Domitianumque dominum palam dici passus et adorari se appellarique uti deum.*

[18]) De Calig. cf. Dio LIX 28. 26. 4. Suet. 22. De Domit. Suet. 13: *Pari arrogantia cum procuratorum suorum nomine formulam dictaret epistulam sic coepit: dominus et deus noster hoc fieri iubet. Unde institutum posthac ut ne scripto quidem ac sermone cuiusquam appellaretur aliter.* Dio LXVII 13, quem locum attuli pag. 19.

praecedentes sic se appellari vel iussissent vel passi essent (cf. pg. 16 adn. 17 et 18).

Ipsiusque Martialis verba X 72[3] *dicturus dominum deumque non sum* q. sq. prorsus evidenter cum ostendant et ipsi poetae satis invisam fuisse istam appellationem quam temporum modo praeteritorum atrocitate coactus non debuit omittere, facile tibi persuadebis non sic esse invocatos a Martiale Vespasianum Titumque praesertim cum utrumque a tali ludibrio abhorruisse et Vespasiani moribundi testentur verba per ironiam dicta (de quibus cf. Suet. c. 23 extr. *Prima quoque morbi accessione „Ut", inquit, „puto deus fio"* et Dion. LXVI 17 „θεὸς ἤδη γενήσομαι") et Titi mores a Suet. descripti: Martialem igitur cum nihil tali adulatione profecturum se esse aperte sciret usurpasse eam nihilo secius nemo serio credet.

Plinius denique vix tam atrociter perstrinxisset Domitiani illud desiderium si priores eundem in se honorem congeri vel voluissent vel passi essent.[19]) Videtur igitur inde a Neronis sequentiumve principum aevo appellatio illa paulatim esse repressa — ita ut mirum videri nequeat quod apud illorum temporum scriptores poetasque nulla exstent talis appellationis vestigia — a Domitiano vero principe vesania Caligulae simillimo redintegrata.[20])

---

[19]) Cf. paneg. § 2 *Nusquam ut deo, nusquam ut numini blandiamur: non enim de tyranno sed de cive, non de domino sed de parente loquimur.* § 49 *longeque tunc illi divinitas sua.* § 78 *Ut enim ceterorum hominum ita principum illorum etiam qui dii sibi videntur aevum omne et breve et fragile est.*

[20]) Contemplanti mihi ep. 17 v. 4 adulationem prae se ferens mire rusticam impudentemque in mentem redeunt versus illi Iuven. IV 65 sq. Piscator illic Picens Domitiano rhombum donaturus immanem modo captum hisce piscem porrigit verbis adulantibus:

„Accipe —
Privatis maiora focis: genialis agatur
Iste dies: propera stomachum laxare saginis,
Et tua servatum consume in saecula rhombum,
Ipse capi voluit".

Hoc iam cum mihi constet Domitianum tantum versu illo 4 subaudiri posse, ad alteram quaestionis partem accedam necesse est, illam dico, utrum inde ab imperii initio tali adlocutione celebratus sit an posterioribus demum annis.

Cum Eusebio[21]) qui ad a. 2102 i. e. ad annum inde a quinto imperii anno incipientem - an. intra spatium inde ab Oct. mense anni 85 usque ad m. Oct. a. 86 interpositum[22]) adnotat: *Primus Domitianus DOM et DM se appellari iussit* optume concinunt quae et a Dione referuntur et a Zonara nec minus indicia e Martialis epigr. repetenda. Ea enim quam Dio de Iuventio Celso enarrat historiola (cf. pg. 19) primis mihi videtur accidisse decimi decennii annis. Descripserat enim Dio modo Domitiani in Rusticum Herenniumque saevitiam quos et ante Plinii praeturam (a. 93 susceptam computante Mommseno in Herm. vol. III

Qui sermo summe adulatorius poetae indignabundo verba extorquet haec:

Quid apertius? et tamen illi
Surgebant cristae. Nihil est quod credere de se
Non possit, cum laudatur dis aequa potestas.

Vides e versibus illis (perbene illustratis ab Heinr. in comm. pg. 181) Domitianum revera adulationibus tam foedis ut alii imperatori risum facilius aut bilem movissent summa laetitia elatum esse. Martialem Tito hic tam insolenter adulatum esse parum mihi videtur credibile.

[21]) Ne despicias annorum ab Eusebio datorum fidem hic admonuerim; probari enim in singulis potest rectissime Eus. citasse; cf. notam a. 2097 appositam illam *Dom. uxorem Augustam appellatam esse* quae nota fratr. Arv. tabula a. 81 firmatur (falso Suet., vid. infra cap. III adn. 21). Nec minus optume quadrant quae ad a. 2109 de philosophorum atque mathematicorum exilio in vers. Armen. allata vides cum Plin. indiciis in ep. III 11. Plinii enim praeturam revera incidisse in a. 93 Momms. l. c. pg. 84—88 probavit. Hieronymum hic annum adscribentem 2111 leviter errasse docet idem pg. 84 adn. 4. Annus denique triumphi Dacici (2106 i. e. a. 89/90) optume cum recentiorum computationibus congruit (Henzen, act. fratr. Arv. pg. 117; Hirschfeld l. c. pg. 1506 sq.).

[22]) cf. Gutschmid.: *de temp. notis quibus Eus. utitur*, Kil. 1869.

pg. 84 sq.) occisos esse e Plin. ep. III 11 § 2/3 constat nec tamen ante Corneliae Vestalium maximae necem, quam Eus. anno tribuit 2107 i. e. a. 90/91. Nam in ep. IV 11 Plinius Licinianum cum Corneliae (damnatae nimirum) libertam occultasse argueretur ab Herennio Senecione defensum esse refert. Intra a. igitur 90/91—93 cadere Rustici Herenniique neces luce clarius[23]). Quocum optume convenit quod Dio paullo post iterum in exilium eiectos esse philosophos memorat, quod exilium evenisse non multo post Aug. mens. anni 93 Momms. l. c. perbene admonet.

Quodsi, ut ad carceres denique ab calce revertar, Dio illis rebus adnectit narratiunculam illam de Iuventio Celso pergitque exinde κἀν τούτῳ προςκυνήσας αὐτῷ (sc. Domit.) δεσπότην τε καὶ θεὸν (ἃ παρὰ τῶν ἄλλων ἤδη προςηγορεύετο) πολλάκις ὀνομάσας· οὐδὲν ἔφη πεποίηκα τοιοῦτον κτε certe concludendum est eodem fere tempore rem illam evenisse[24]) simulque e verbis modo allatis si quid iudicare valeo deducamus necesse est Domitianum primum ut titulus ille praescripta libellorum inauguraret publicorum imperasse (cf. Suet. l. s. pg. 16 adn. 18); quo factum est ut homines quoque privati exinde poetaeque adulantes vel deum eum vel dominum appellare vel utroque nomine adloqui inciperent (cf. Suet. loc. modo adl.). Fulciri videtur argumentatio ista Martialis epigrammatis. Nam in prioribus III libris (i. e. usque ad a. fere 87/88 cf. pg. 6) opportunitate compluries data[25]) nusquam nec deus appellatur Domitianus dominusve

[23]) Mommsenus l. c. a. ipso 93 necatos esse illos, fortasse recte, probare studuit.

[24]) Quocum optume consentiunt et extrema cap. 13 verba haec ἀφεθείς τε ἐπὶ τούτῳ (sc. Celsus) οὔτε ἐνέδειξέ τινα καὶ ἄλλοτε ἄλλας προφάσεις προτείνων διήγαγε μέχρις οὗ Δομετιανὸς ἀπέθανεν et seq. cap. prima verba ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ ἡ ὁδὸς ἡ ἀπὸ Σινοέσσης ἐς Ποτεόλους ἄγουσα λίθοις ἐστορέσθη, quod anno 95 factum esse scimus e seq. Dionis verbis et e Statii silv. IV 3.

[25]) cf. I $4^1/_2$. $6^3/_6$. $14^1/_2$. $^5/_6$. $22^5/_6$. $89^5/_6$. $101^1/_2$. $104^{21}/_{22}$. 117^{10} (?). II 2. 32^4. 59 (?). 91. 92. III 95^{11}.

nec Iuppiter Tonansve quas appellationes iam inde a limine libri IV usque ad libr. IX sescenties repetitas invenies. 26)

Quae cum ita sint confidenter opinor licet statuere ep. 17 et in Domitiani ludum conscriptum esse nec ante a. fere 86 vel 87.

Sed ne nimiae temeritatis opprobrium in me cadat ut qui uno illo loco nixus certas inde colligam conclusiones, aliorum iam epigr. indicia ad firmandam illam argumentationem arcessam.

Non minus mihi certe constare videtur ep. 20 Domitiani tempore compositum esse. Primum quod Myrinus gladiator et in libri XII ep. 29^{7} invenitur et statui vix potest eundem 27) iam inde a Titi annis usque ad exeuntes decennii decimi (cf. pg. 6) annos muneribus gladiatoriis functum esse; praesertim cum, quod e titulis gladiatoriis

26) Inspicias IV 1^{10} (deo); IV 8^{12} (Jupp.); V 3^{6} (deum); 5^{2} (dei); 6^{9} (Jovis sereni); 8^{1} (dei); VI 10^{9} (Ton.); VII 2^{2} (dei); 5^{3} (deum); 8^{2} (deus); 29^{8} (deo); 56^{4}, 99^{1} (Ton.); de 40^{2} (utrumque deum) cf. Friedl. adn.; VIII 2^{6} (domino deoque); 8^{6} (deum); 15^{2} (Jupp.); 82^{3} (deum); IX 24^{3} (Jupp.); 24^{4}, 28^{8} (deus); 28^{10} (Jupp.); 34^{8} (Jov. fil.); 36^{2} (alter Jupp.); 39^{1}, 65^{1} (Ton.); 65^{3} (dei Caesaris); 66^{3} (domino deoque); 86^{7} (Ton.); 86^{6}, 91^{6} (Jupp.); 93^{8} (deus); 101^{24} (domini deique nostri); X 72^{2} (dominum deumque); XI —; XII 48^{13} (?); XIII 74^{2} (deus); XIV 1^{2} (Jupp.). — Libros X. XI. XII : XIII. XIV vel prorsus carere talibus titulis vel haud spisse eos praebere e temporum rerumque illic tractatarum natura facile apparet. — II 59^{4} huc non pertinet, cum de divo Augusto sit sermo; idem valet de VI 3^{2} (vera deum suboles).

27) Cur Myrinum in libr. XII memoratum (Friedl. ed. I pg. 153/54) alium esse statuamus atque hunc nulla si rectum video causa subest. Nam etsi concedendum est tales nominum clarorum repetitiones in usu fuisse (v. Herodian. 15, 8 ἑαυτὸν δὲ οὐκέτι Ἡρακλέα ἀλλὰ τῶν μονομαχούντων ἐνδόξου τινὸς προτετελευτηκότος ὀνόματι καλεῖσθαι προσέταξε — cf. Sen. prov. 4, 4 et Friedl. adn. ad ep. 20), tamen usitatissimum fuisse hunc morem in primis apud gladiatores minus crediderim. Egit de talibus nominum clarorum pantomimorum aliorumque artificum repetitionibus uberrime Friedl. II^{5} pg. 568—573; addas Heinrichii verba in comm. Juv. pg. 226.

— quamvis perpauci hucusque reperti sint — satis dilucide apparet, tempore haud ita longo vel liberarentur gladiatores vel occumberent.[28])

Deinde duo priores versus tum sensum praebent optimum si cum Suet. verbis (Dom. c. 4) conferuntur. Ibi enim Suet. narrat Domitianum *quaestoris muneribus populo potestatem fecisse bina paria e suo ludo postulandi;* quare epigr. illud sic si verum video interpretabimur: in parium illorum electione cum e gladiatoribus a Caesare populo concessis tres iam iique spectatissimi omnium consensu electi essent, de quarto vero adsumendo cum alteri parti Myrinus dignior videretur qui cooptaretur, ab altera vero parte Triumphus praeferretur, consensio effici posset nulla, Caesar, ut litem illam exortam componeret simulque gratum populo altercanti faceret, utrumque dissentientibus concessit, ita ut — id quod persaepe evenisse videtur, cf. Friedl. h. m. II[5] pg. 346 — alter in locum eius qui e quattuor

---

[28]) Qui tituli certi aliquid vel de mortis anno vel de missione continent hi fere sunt:

CIL. VI.	nomen:	pugnavit:	liberatus est pugna:	obiit annos natus:	ordo glad.
Nr. 10184	Acacinthus	undecies	—	34	retiarius.
— 85	Jul. Balerianus	—	—	20	retiarius.
— 89	Incitatus	sexies decies	—	27	secutor.
— 94[10]	Fimbria	—	nona	—	—
— 95	Anton. Niger	octies decies	—	(38)	(veteran.)
— 96	Apollonius Thraex	—	sexta	—	glad. cum scuto et glad.
— 97	Macedo Thraex	—	—	a. 20 m. 9 d. 12	—
10200	Poetellius Syrus	—	—	(42)	(lanista).
— 203	Martialis	—	vicesima una	—	—
— 216	Severus	—	quinta	—	—

illis primus interfectus esset statim suppositicius (Mart. V 24 [8]) succedere posset. [29])

Praeter eas quas modo attuli causas una in primis observatione eaque gravioris momenti adducor ut Domitiani in laudem ep. quoque 20 conscriptum esse statuam. Cognomentis Caesarum a Martiale celebratorum curam si dederis diligentiamque, Domitianum solum invenies *invicti* vel *victoris* cognomen gerentem [30]): eique in primis epitheton tale indere potuisse poetam facile mihi puto concedes. Nam licet Domitianus res illo nomine dignas nusquam egerit attamen scriptores nobis testificantur id summo eum appetisse opere ut ficta sua facinora in caelum laudibus efferrentur. Quid mirum si tunc temporum cum vulgus vile tum poetae esurientes talibus laudibus aemularentur inter se ut summo duci gratos se redderent? Sed iam sciscitemur quaeso quando Domitiano victoris cognomen datum sit. In prioribus sex libris aeque atque in libris XIII et XIV frustra illud quaeres, in ceteris vero libellis Domitiani temporibus editis saepius invenies usurpatum cf. VII 8 [2] *victor deus* [31]); VIII 2 [2] *victor Histri*; VIII 54 [2] *ducum victor*; IX 1 [10] *invicta manus*; 23 [6] *invictum caput*; 101 [20] *victor*; cf. praeterea VII 6 [5] *victrices chartae*; IX 35 [6] *victricem laurum*; XI 5 [4] *cum tot viceris Croesos*; XI 96

[29]) Si revera Myrinus ille hic atque XII 29 [7] memoratus unus idemque est, Friedlaenderi sententia in adn. ad ep. 20 prolata stare non potest. XII 29 [7] enim Myrino laeso missio petitur; bestiario autem vel venatori rudem esse datam nusquam invenies.

[30]) Quod omnino haud nimis saepe imperatores gessisse et rerum nos docent scriptores poetaeque et lapides servati. Scimus Julium Caesarem saepius sic appellatum esse a poetis (Mart. IX 61 [7]; Anth. Lat. ed. A. Riese I 1 n. 397 et 420 [4]; I 2 n. 847 [5] al.), aliquoties dein Augustum (cf. Fincke l. c. pg. 8), Commodum denique teste Dione LXXII 15. In Graecis titulis summe adulantibus Tiberio quoque Claudio inditum esse invenies νικηφόρου cognomen (bull. d. c. h. 1881 pg. 184) et Antonino ἀνικήτου (ib. 1884 pg. 458); e Latinis titulis unum tantum hucusque inveni hunc: *Domini N. Gallieni . . Invicti Aug.* cet. (bull. dell' inst. 1885 pg. 68).

[31]) Cum Martialis illo *victor deus* optume quidem congruit

victrix unda. Unus est in primis locus qui luce clarius demonstrare mihi videtur Domitianum certe tempore peractae expeditionis Sarmaticae re vera in universum cognomine — a militibus fortasse summe illi faventibus (Suet. Dom. 23) excogitato — vel invicti vel victoris celebrari coeptum esse, versus dico 7/8 ep. VII 6:

Rursus, io, magnos clamat tibi Roma triumphos
Invictusque tua, Caesar, in urbe sonas,

de quibus recte Friedl. in adn. (ed. II pg. 476).

Quae modo dixi confirmantur cum Silii Italici v. III 616/617 (*Idem indignantem transmittere Dardana signa | Sarmaticis victor compescet sedibus Istrum)* tum Statii v. hisce:

IV $7^{49/52}$

Ille ut invicti rapidum secutus
Caesaris fulmen refugis amaram
Sarmatis legem dederit, sub uno
Vivere caelo

et IV 8^{61}

Si modo prona bonis invicti Caesaris adsint
Numina. Romulei limen pulsare senatus.

titulus a Paris. et Holleaux, inscript. de Carie, bull. de corr. hell. 1885 pg. 79 (Nr. 11) depictus cuius versus huc spectantes appono:

ΣΤΟΝΓΕΡΜΑ
ΑΝ ΚΗΤΟΝΘΕΟΝ ΔΙΟ
ΗΑ ΥΛΟΥΤΟΥΠΑΠΥΛΟΥΔΙΟΝΥ
ΣΙΟ ΙΕΡΕΥΣΔΙΟΣΝΙΝΕΥΔΙΟΥΣΥΝ
ΚΑΘ ΙΕΡΩΣΕΝΤΟΝΘΕΟΝΤΩΘΕ
ΩΚΑ ΘΩΣΥΠΕΣΧΕΤΟ.

Sed certe vix poterit diiudicari utrum ad Domitianum an ad Hadrianum referendus sit (de Nerva, Traiano minus cogitari potest, cf. Plin. paneg.; de Commodo omnino non quamvis et invictus diceretur et deus — cf. Dio LXXII 15 — cum multa ille alia cognomina gereret quae in lapide desunt), nisi forte verbis illis ἀνίκητον θεόν quandam argumentandi vim inesse velis. Versus enim 1 supplendus esse videtur in Σεβα]στὸν Γερμα[νικὸν Δακικὸν], nam versus quoque 4 litteras gerit 25; Germanicum Dacicum vero appellari potuisse et Domitianum

In prioribus Statii carminibus nusquam data sexcenties opportunitate Caesar invictus appellatur: subito in duobus carminibus continuis iisque (excepto fortasse V 2 [181] sq., ubi non minus Domitiani virtus bellica celebratur, cf. v. 177) ultimis duobus, in quibus Caesar laudibus effertur, illud cognomen imperatori datum est. [32])

Facilius fortasse quae modo dixi vera esse credes si in memoriam tibi revocaris Herculem ipsum cognominatum fuisse et invictum et victorem (cf. Preller, röm. Myth. I³ pg. 352 adn. 2; II pg. 286, 289/90 adn. 2), ita ut in Domitianum cum ipse Hercules esse vellet (cf. pg. 25) cognomina quoque heroi illi indita transvertisse homines adulantes perquam sit veri simile.

Quae si recte coniecimus in propatulo est epigr. libelli ep. 20 (v. 4 *O dulce invicti principis ingenium*) non modo in Domitianum cadere sed etiam omnino non ante expeditionem Sarmaticam (a. 92) scriptum esse potuisse.

Prorsus idem valet de eiusdem libelli ep. 6:

Belliger invictis quod Mars tibi servit in armis,
Non satis est, Caesar: servit et ipsa Venus. —

Ep. 25 (de 25ᵇ cf. pg. 34) nocturnum munus celebratur, quod munerum genus Domitianum in deliciis habuisse et Suet. Dom. 4 testatur: *nam venationes gladiatoresque et noctibus ad lychnuchos* et Dio LXVII 8 πολλάκις δὲ καὶ τοὺς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει. [33]) Usque in noctem perduxisse munera Domitianum e Statii quoque versibus discimus hisce:

(in titulo saltem Graeco) patet e praef. Mart. VIII, Hadrianumque sic in nummis cognominatum esse docet Eckhel. pg. 475.

[32]) Fortasse Quintiliani quoque locus X 1, 91/92 dignus est qui adferatur. Illic enim Caesaris virtutes bellicosas versu effert Vergiliano: *Inter victrices hederam tibi serpere laurus.*

[33]) Eodemque modo Domitianum saepius dapes indulsisse nocturnas populo spectanti Dio narrat LXVII 4; ib. c. 8 extr. Addas historiolam de convivio primoribus noctu dato ib. c. 9.

Silv. I 6 [85] sq.

Vixdum caerula nox subibat orbem.
Descendit media nitens harena
Densas flammeus orbis inter umbras.
Vincens Gnosiacae facem coronae.
Collucet polus ignibus nihilque
Obscurae patitur licere nocti q. s.

De Titi vero muneribus nocturno tempore editis nusquam invenies quicquam relatum.

Nec minus in subsequenti ep. 26 munus navale descriptum esse nocte datum e v. 5:

Et gratum nautis sidus fulgere Laconum

colligamus oportet, id quod et Friedl. in adn. ad ep. 26 concedit. Quae cum ita sint utrumque epigr. ad Domitianum referre haud dubito; fortasse idem valet de ep. 16 et 16^b. Domitiano enim Herculem in primis curae fuisse e titulis (CIL. VI 298 sq.) nec minus e compluribus epigr. Valerianis apparet (IX 64 $^1/_2$ Caesaris statuam memorat poeta Herculis vultus gerentem cf. 65 $^1/_2$; ib. v. 6. Domit. *minor Alcides* appellatur, IX 101 [11] *maior Alc.*, cf. IX 3 [11]); quid veri similius quam Domitianum et in spectaculis talia munera edidisse quibus Herculis vel facinora vel receptionem inter deos imitaretur? Sed ad alia pergamus.

Ep. 7 poeta crudelem quidem sed iustam poenam hominis cuiusdam scelesti sub Laureoli nomine latentis narrat. Comparato malefici illius supplicio cum Promethei pergit v. 3/4

Nuda Caledonio sic viscera praebuit urso
Non falsa pendens in cruce Laureolus q. s.

Docemur priore versu eo tempore quo Mart. epigr. illud componeret e Caledonia quoque ursos Romam transportatos esse. Caledoniae nomen erat Britanniae regionibus septentrionalibus supra sinus qui dicebantur Clota et Bodotria pertinentibus (Tac. Agr. 23); ex ipsis autem his regionibus montanis ursos esse depromptos luce clarius. Quas regiones Romani tenuere uno anno 84 quo ineunte

Agricola in montanas illas regiones proficiscebatur et exeunte iam aestate Caledonios ad radices Graupii montis devincebat. Cum tamen eodem anno a Domitiano Agricolae prosperos successus peroso domum revocaretur Romani regiones illas rursus amisere (cf. Tac. hist. I 2 *Perdomita Britannia et statim omissa*). Hinc colligi posse videtur ursos Caledonios cum inde ab aestate a. 78, quo anno Agricola legionibus in Britannia stationem habentibus praefectus est [34]) usque ad a. 84 bellum continuum ibi gereretur, Romanis igitur e saltibus Britanniae borealis infestis ubique gentibus ursos ante victricem illam Agricolae in Caledonios expeditionem capiendi vel *auro quaerendi* (Petron. § 83) occasio data esset nulla, non posse Romam transportatos esse nisi vel ipso anno 84 vel annis subsequentibus; nam bello composito Romani si non ipsorum Caledoniorum modo cognitorum attamen Britannorum auxilio bestias inde facile sibi comparare potuerunt. Sequitur inde ep. 7 conscriptum esse vel anno ipso 84 vel annis subsequentibus.

Nonnulla epigr. veri similius ad Domitianum referuntur quam ad Titum: ep. dico 12, 12b, 13, 14, 15, 30, in quibus venationes celebrantur in amphitheatro circove factae. Nam Domitianum tales venationes in deliciis habuisse testatur Suet. Dom. 4 (cf. pg. 24) alioque loco et Quinquatribus Minervae editas esse ab eo venationes legimus (*sorte ducti . . . ederent eximias venationes et scaenicos ludos* q. s.). Quos locos si ad solas bestiarum venationes omnibus temporibus usitatissimas referendos esse putas reminiscaris quaeso loci Suetoniani huius (c. 19): *Armorum nullo, sagittarum vel praecipuo studio tenebatur. Centenas varii generis feras saepe in Albano secessu conficientem spectavere plerique* q. s. In amphitheatro autem Domitiani temporibus venationes ferarum Italicarum

[34]) Uberrime de Agricolae expeditione Britannica egit Imhofius, l. c. pg. 42—46; pg. 51/52. De expeditione a. 84 v. Tac. Agr. 29—38. cf. c. 26.

haud minus quam bestiarum extrinsecus Romam asportatarum re vera factas esse luculenter ostendunt Iuvenalis versus I, 22 sq:

Cum tener uxorem ducat spado, Mevia Tuscum
Figat aprum et nuda teneat venabula mamma.

Saepius denique a Martiale venationes aprorum suumque (V 65) dammarum (IV 35, cf. IV 74) al. commemorantur.

Quae supersunt epigr. nullam nobis praebent ansam ne probabiliter quidem constituendi temporis quo sint conscripta nedum certe definiendi. Nam spectaculum ep. 5 descriptum quod Neronis tempore esse datum Suet. auctor nobis est (cf. vit. Ner. 12), et Titi et Domitiani tempore facile repeti potuit. Scriptum enim esse epigr. illud Neronis iam aevo — quamvis mediis fere septimi decennii annis Martialis iam Romae versaretur — quis serio crediderit? Mulieres cum beluis pugnasse sicuti in sequentibus ep. 6 et 6^{b} legimus et sub Tito usu venisse et sub Domitiano aliisque imperatoribus[35]) rerum scriptores nobis sunt testes. (cf. Dio LXVI 25; Suet. Dom. 4).

Simile dein spectaculum atque in ep. 8 a Suet. in vita Ner. relatum videmus (cf. c. 12); sed talia certe aliis quoque temporibus perusitata erant. Idem valet de ep. 10 (cf. Iuv. sat. XIV 246; Stat. Achill. I 858 sq.).

Spectaculum tale quale commemoratur ep. 21 (v. 6) sequi videbatur congiarium populo spectanti datum. De Tito Dio LXVI 15 narrat iecisse eum desuper in theatrum σφαίρια ξύλινα μικρὰ σύμβολον ἔχοντα τὸ μὲν ἐδωδίμου τινὸς τὸ δὲ ἐσθῆτος τὸ δὲ ἀργυροῦ σκεύους, ἄλλο χρυσοῦ, ἵππων, ὑποζυγίων, βοσκημάτων, ἀνδραπόδων, κτλ; de Dom. idem LXVII 4 τοῖς τε θεωμένοις συχνὰ διὰ τῶν σφαιρίων ἐδίδου; de avibus tali modo populo concessis nihil quidem refert, sed facile omittere potuit hoc illudve congiarii genus.

[35]) Severum demum vetuisse tales mulierum cum bestiis pugnas Dio narrat LXXV 16 καὶ διὰ τοῦτ' ἐκωλύθη μηκέτι μηδεμίαν γυναῖκα μηδαμόθεν μονομαχεῖν.

Domitianum re vera aves quoque spectantibus dono dedisse e Statii silv. I 6^{75} sq. discimus:

Inter quae subito cadunt volatu
Immensae volucrum per astra nubes.
Desunt qui rapiant[36]*, sinusque pleni*
Gaudent, dum nova lucra comparantur.

Arenae commutatio in aequor qualis describitur in ep. 24 cum a scriptoribus non modo Domitiano (Suet. 4; Dio LXVII 8) tribuatur sed etiam Neroni (Dio LXI 9; 15) et Tito (Dio LXVI 25), nihil inde lucramur ad tempus constituendum; nec magis quae adhuc restant epigr. quicquam nos docent.[37]

Omnia quae hucusque disputavimus si breviter comprehendimus ad exitum hunc perveniamus necesse est: inesse libello epigr. et Titi et Domitiani tempore composita singulaque sic fere esse disponenda:

I. Epigr. quae certe scripta sunt tempore
- a) Titi: 1. 2. 3. 28. (anno 80).
- b) Domitiani:
  - 1) a. vel ipso 84 vel postea . . . ep. 7.
  - 2) inde ab a. 86/87 ep. 17.
  - 3) a. vel 92 vel postea ep. 20. 6.
  - 4) incertis annis ep. 9. 22. 25. 26.

II. Epigr. quae scripta esse videntur tempore
- a) Titi . . . ep. 4. (4^b).
- b) Domitiani . . . ep. 12. 12^b. 13. 14. 16. 16^b. 30. 32. — de ep. 15. 23. 27 vid. pg. 31/32.

III. Epigr. quorum tempora nullo modo definiri possunt . . . 5. 6^b. 8. 10. 11. 18. 19. 21. 21^b. 24. 29. 31.

---

[36]) sc. quia sinus iamdudum donis turgent, ita ut plura recipere iam non possint.

[37]) E quibus ep. 32 mutilum mihi videtur esse (cf. Friedl. adn.

Mirum in epigr. libello unum illud videtur quod poeta nusquam ne verbo quidem pugnas nec gruum nec pumilionum tetigerit cum ab omnibus fere aequalibus tamquam mirabiles commemorentur (cf. de Dom. Dion. LXVII 8 et Stat. silv. I 6 57—64; de Tito Dion. LXVI c. 25). Nec in ceteris libellis usquam eiusmodi pugnas ab eo celebratas invenies; ex uno tantum libri XIV ep. 213 clare cognoscimus non prorsus ignotas ei fuisse tales pugnas.

Accurate igitur examinatis ratione ac natura singulorum libri istius epigr. videamus quaeso quid de totius libelli ratione temporibusque iudicandum sit.

Vidimus in libello exstare epigrammata et Titi tempore et Domitiani composita, e quibus maior pars sub Domitiano demum orta esse videatur. Quaerendum primum quonam tempore Martiali opportunitas data sit edendi libelli. Eone tempore quo Titus amphitheatrum dedicaret, ita ut epigrammata ad Domitiani munera spectantia postea intercalata sint? Sed tum permirum esset tam pauca epigr. Titi spectacula celebrantia inesse libello; idemque valere mihi videtur, si Friedlaenderi sententiam secuti (cf. hist. mor. III 5 pg. 425; ed. I pg. 137) statuimus excerpta esse quae nobis tradita sunt carmina ex altera editione. An tum, cum Domitianus triumphi de Chattis efferendi gratia munera ederet? Sed etsi expeditionem illam anno demum 84 susceptam esse concederemus,

in ed. I pg. 161). Opinabar igitur aliquando ep. I 5, de cuius integritate idcirco dubitari potest quia nusquam Martialis similem ep. formam usurpavit (cf. Friedl. adn. ad I 5), coniunctum olim fuisse cum ep. illo 32 hunc in modum:

Caesar: *,Do tibi naumachiam, tu das epigrammata nobis:*
Vis, puto, cum libro, Marce, natare tuo'.
poeta: *„Da veniam subitis: non displicuisse meretur*
Festinat, Caesar, qui placuisse tibi" —

posteriore vero tempore nescio quo casu seiunctum in librum I aberrasse. Alternos tales sermones Martialem saepius finxisse satis scis. Veri tamen similius mihi nunc videtur ep. 32 ultimum esse distichon carminis illius quo Martialis epigr. libellum Domitiano dedicabat.

triumphus ergo actus esset extremis anni 84 mensibus, ita ut ep. 7 anni iam 84 auctumno conscriptum non impedimento esset, tamen reclamarent quae pg. 16—24 de ep. 17 et 20 attulimus. Deinde quaenam ratio tum intercederet inter epigrammaton libelli carmina librique I eiusdem notae ep. 5. 6. 14. 21. 22. 44. 48. 51. 60. 104, quae et ipsa ad eadem munera spectare videntur? Eandemque quaestionem moveremus oporteret si quis respicere libri illius epigrammata munera expeditionis Sarmaticae causa edita vellet: quippe quae ea celebrant carmina iam in libro VIII exstare vidimus (v. pg. 12), nec ullo modo intellegi potest cur epigrammaton libelli poematia seiuncta sint ab illis. Prorsus aliter res se habere videtur de muneribus ad triumphum Dacicum efferendum editis: ubi enim exstant in Martialis libris carmina ad illa munera spectantia? Noli quaerendo tempus amittere, nusquam talia invenies. At dixerit quispiam: fortassis Domitianus non tantis muneribus victorias illas — quo titulo clades a Dacis acceptas appellare dignatus est — celebravit ut digna viderentur poetae quae concinerentur. Cave ne talia ratiocinatus in errorem delabare. Scimus et e Dionis vita Dom. LXVII 8 (cf. pg. 12) et e Statii silv. III 3 118 sq. 170 deducamus necesse est non minus elatas esse muneribus magnificis victorias illas Dacicas quam antea Chatticas, postea Sarmaticas. Nec minus Euseb. ad a. 2106 adnotat Domitianum de Dacis et Germanis [38]) triumphasse. Opportunitate vero tali data omisisse Domitianum ludos edere nemo opinor sibi persuadebit. Quin etiam ipse Martialis aliquoties Dacicum quoque triumphum respexisse videtur quippe qui dicat:

V 19 *Si qua fides veris, praeferri, maxime Caesar,*
Temporibus possunt saecula nulla tuis.
Quando magis dignos licuit spectare triumphos? [39])

[38]) *Et Germanis* per errorem additum est.

[39]) Haud nescio rem mihi futuram cum Friedl. Hirschf. aliis v. d., quippe qui ante triumphum Dacicum editum esse libr. V velint. Sed

et VI 4 *Censor maxime principumque princeps.*
Cum tot iam tibi debeat triumphos . . .
Tot spectacula . . . Roma q. s. Addas VI 10[8].

Iam satis cum constet re vera Domitianum et triumphasse de Dacis et munera dedisse, altera ad nos accedit quaestio, illam dico cur nullum munerum illorum vestigium in Martialis libellis (V 24[3] 65[3]) inveniamus. Nulla subesse videtur causa cur omisisse munerum descriptionem Martialem sumamus. In febrim quidem per idem fere tempus incidisse scimus poetam (VI 58; 70[8]; 86[2] — vid. infr. cap. III adn. 19), ita ut morbo impeditum eum esse ne ludis illis interesset cantuque eos efferret conicere quispiam possit. At tamen si re vera sic rem se habere statueremus nihilo minus exspectaremus uno alterove eum loco lautissimorum saltem munerum mentionem fecisse. Ne longus sim — sic statuo: Scripsit Martialis re vera epigrammata ludos illos Caesarianos celebrantia eaque uno libello complexus est; eo ipso qui nunc — immutatus sane, v. pg. seq. — epigr. dicitur liber. Cur sic fecerit poeta, cur non haec epigr. aeque atque Chattica illa Sarmaticaque carminibus libri vel V vel VI varias res exhibentibus interposuerit prorsus in aperto est: destinaverat secum libellum sic compositum imperatori tradere: hoc nos docet epigr. mutilatum (cf. pg. 28/29 adn. 37) 32. Quocum optume conveniunt non modo quae pg. 16—22 de dei appellatione de Myrinoque dixi nec minus quae pg. 25/26 de ursis Caledoniis prolata sunt, sed etiam quod veri simillimum est V 65[10—11] eiusdem Carpophori facinora a poeta esse descripta quae in epigr. libri carminibus 15, 23, 27 canuntur. Utroque enim loco venatoris mentionem fieri prae ceteris insignis qui assumpta Herculis persona facinora herois illius a Domitiano ut diximus eximie culti imitatus sit apparet cum e toto epigr. illorum tenore tum

---

utut res se habet aperte e verbis sequi videtur Martialem de duobus minimum triumphis cogitasse nec alios possumus intellegere quam Chatticum et Dacicum.

ex aperta expressaque venatoris istius cum Hercule comparatione, cf. epigr. lib. 27 11/12

Herculeae laudis numeretur gloria: plus est
Bis denas pariter perdomuisse feras

et V 65 11/12

Reddatur si pugna triplex pastoris Hiberi,
Est tibi qui possit vincere Geryonem.

Huc accedit quod utroque loco venatorem illum etiam cum crocodilis pugnam iniisse narratur:

27 9/10 *Si sit, ut aequorei revocetur fabula monstri,*
Hesionen solvet solus et Andromachen —

V 65 *Saepe licet Graiae numeretur belua Lernae*
Improba Niliacis quid facit Hydra feris?

de quo certaminis genere nusquam invenies quicquam memoratum nisi unum apud Dionem in vita Augusti LV 10 init., ita ut perraro in arena spectatae esse beluae illae videantur. Quae cum ita sint facile crediderim Carpophorum in epigr. libro celebratum atque venatorem illum V 65 unam esse eandemque personam (id quod iam Kehreinio vetustiores nescio quos interpretes secuto — qui ep. V 65 versus 10—12 cum ep. 27 v. 6 contulerant, cf. Colesson. adn. ad V 65 — visum erat (l. c. pg. 543). Hoc vero concesso nemo nobis persuadebit ep. 15, 23, 27 anno iam 80 conscripta esse.

Kehreinii argumenta pg. 544/45 allata caduca sunt: Martialis quod nusquam epigr. libri mentionem facit hoc prorsus nihil probat — num ullo modo poeta in epigr. libris vel Xeniorum libri vel Apophoretorum rationem habet? Alterum vero, non subesse causam, cur scripserit Martialis illum libellum iam praecedentibus verbis refellitur. Quo vero tempore epigrammata ad Titi munera pertinentia cum huius libelli carminibus commixta sint certe detegere nemo facile poterit.

Fortasse Martiale iam defuncto praeter alia (cf. pg. seq.) vir nescio quis doctus errantia illa collegit collectaque carminibus interposuit illis. Libellum enim nobis servatum

ab ipso Martiale non editum esse iam ex eo argumentemur oportet quod ep. 28 epigrammatis in Domitiani munera scriptis interpositum est: si poeta ipse edidisset libellum sic formatum[40]) ep. 28 certe cum primis 3 (vel 4) epigr. composuisset. Alius autem nescio quis cum quattuor illa priora epigr. ad Titum spectare cognosceret haec ipsa ita posuit ut inaugurarent libellum; ep. vero 28 cum Domitiani tempore conscriptum esse opinaretur eam ipsam ob rem carminibus illo tempore compositis intermiscuit. Ipsa autem post ep. 24—26 eum idcirco posuisse ep. 28 ut cum carminibus illis munera in undis acta (nam utrum in naumachia an in amphitheatro inundato edita essent munera illa iam non sciebat) celebrantibus (24, 25, 26) coniungeretur, mihi quidem consentaneum videtur esse. Praebuit igitur libellus cum primum Martiale defuncto ederetur hanc fere formam:

ep. 1—4 (ed. nostr. 1—4): . . .	epigr. aperte cum amphitheatri dedicatione a. 80 iungenda.
„ 5—22 („ „ 5—19; 21; 22):	Varia et mulierum et virorum cum bestiis ferisque spectacula bestiarumque inter se pugnae.
„ 23—26 („ „ 24—26; 28.):	munera in undis facta.
„ 27;(28?) („ „ 29; (31?)): . .	gladiatores duo secum pugnantes.
„ 29 („ „ 32):	epigr. dedicandi gratia compositum.

[40]) Id quod fieri non potuisset nisi Domitiano iam necato: saevus nimirum ille Flavius ut qui testantibus scriptorum verbis fratrem acerbissime odisset aegerrime tulisset quod libellus sibi dedicatus in fronte gesserit epigr. in Titi honorem scripta. Cf. Suet. 2 et in primis Dio LXVII 2: Ἐπῄνουν δὲ τὸν Τίτον τινὲς οὐχ ὅτι καὶ ἀκούοντος τοῦ Δομετιανοῦ· (ἴσον γὰρ ἂν ἡμάρτανον, ὥσπερ ἂν εἰ αὐτὸν ἐκεῖνον παρόντα καὶ ἀκούοντα ἐλοιδόρουν.)

Rursus autem epigr. ordo ille ad certam — sicuti iam vidit Friedl., cf. hist. mor. III[5] pg. 426 -- legem compositus immutatus est poematis 20, 27, 30, meram ad libidinem a viro quodam pristinam epigr. dispositionem iam non sentiente posteriore tempore interiectis. Commendari videtur tale iudicium eo quoque quod medio in libello invenitur epigr. omnino non ad cuiuslibet generis munus spectans, ep. dico 25[b], quod sine dubio cum eo tempore quo ep. 20, 27, 30 sine ullo iudicio intercalabantur, sic acciperetur tanquam ad munera spectaret, cum ep. 25 similem exhibente descriptionem coniungebatur.[41]) Tali modo si commutatum esse libellum concedimus quae inquirenti occurrunt difficultates optume solvuntur simulque intellegimus qui fieri potuerit ut in epigr. libello plura quam in ceteris libris frustula epigrammatum exstent.[42])

Una tamen in quaestione illa superesse videtur difficultas. Poetam ipsum in lucem misisse libellum (qui formatum non iam scimus) epigr. in Domitiani munera Dacica scripta amplexum satis cum nobis constet inquiramus necesse est utrum re vera tempore triumphi Dacici i. e. a. 89 desinente conscriptus sit libellus necne. Quae opinio refelli videtur ep. 6 si quidem quae pg. 22—24 disputavimus recte sunt dicta. Duplici iudicari posse modo nemo non videt: aut ep. 6 (mutilatum meo iudicio cf. Friedl. adn. pg. 146) pariter atque 28, cum prior post poetae obitum immutatio eveniret, cum aequae notae ep. 5 et 6[b] coniunctum esse statuemus, ita ut libellus anno 89 vel ineunte a. 90 editus esse possit, aut epigr. librum anno demum 92 e poetae manibus missum esse argumentemur necesse est. Minus si tibi haec opinio quam equidem amplecti prorsus non dubito videtur digna quae comprobetur, scias poetam tempore Dacici triumphi modo ut

---

[41]) Cf. quae rectissime de epigr. illo dixerunt Gilbert. in ed. Mart. et Friedl. in ed. I pg. 136.

[42]) Inspicias quaeso ep. 6; 12 : 12[b]; 16 : 16[b]; 30; 31; 32. versus insuper satis depravatos $6^{b\,4}$; 7^{7}; 27^{2}.

videtur peracti pertinaci morbo paene oppressum fuisse (cf. pg. 69 adn. 19), quo morbo factum est ut intra annos ab autumno fere 90 usque ad mensem Dec. anni 92 pertinentes duos unus tantum liber VII editus sit. Retardatum esse poetam ipsa illa valetudine, ne tempore iam protinus post triumphum Dacicum perficeret libellum perfectumque imperatori traderet, sed tempore demum eo cum Domitianus confecta expeditione Sarmatica domum rediisset, nonne perfacile potest factum esse?

At iam seposito epigr. libello ad libros XIII et XIV accedamus disquisituri num alia praeter ea quae attulit Friedl. (hist. mor III[5] pg. 427; ed. I pg. 51/52) indicia in iis exstent e quibus certi aliquid de temporibus eorum colligi possit.

CAPUT II.

De ratione temporibusque librorum XIII et XIV.

Continere utrumque librum epigrammata in munera scripta Saturnalium diebus missa[1]) ipsisque Saturnalibus foras esse datum satis iam constat; sed quo anno editi sint dubitari potest. Stobbeus (l. c. pg. 78) his quoque libellis non eam quam ceteris libris curam admovit sed iis quae Friedl. in programmatis illis duobus disputaverat adsentiri satis habet.

Friedl. tamen quae ibi chartis mandaverat postea maxima ex parte retexuit atque pertractata denuo quaestione ad exitum prorsus diversum pervenit (hist. mor. III[5] pg. 427/28). Collatis enim libris XIII et XIV cum epigr. libello e similitudine singulorum locorum argumentum deduxit tres illos libros non posse nimio intervallo seiunctos

---

[1]) Quod cum e multis aliis locis conspicuum tum e primis libr. XIII et XIV carminibus. Cf. XIII 16; 3[5]; 6; 9; 28; 42; 43; 45; 48; 69. XIV 70; 137[2]; 182[2]; 10; 13; 14; 21 al.

fuisse, quam sententiam in ed. I pg. 51 sq. rursus immutavit. Sed de singulis suo loco disputetur.

Librum XIII utique confecto bello Chattico in publicum datum esse constare ex ep. 4 idemque valere de libro XIV (v. ep. 170) iam adnotavit Friedl. in hist. mor. III[5] pg. 427; in ed. loco modo citato.

Ansam non minus certam temporis libri XIII accuratius definiendi ep. praebere mihi videtur eiusdem libri 127.[2]) Illo enim epigr. Martialis Caesaris rosas brumales celebrat:[3])

Dat festinatas, Caesar, tibi bruma coronas:
Ut quondam veris, nunc tua facta rosa est.

cum quo artissime cohaeret libri VI ep. 80, ubi simili modo Caesaris *rosae hibernae* canuntur. Narrat illic poeta brumae tempore missas esse Domitiano ex Aegypto rosas *ut nova dona et insolita*;[4]) cum autem in Italiam pervenisset nauta Aegyptius rosarum ibi florentium tam eximiam eum copiam invenisse ut stupefactus ipsos hortos Pharios rosarum vernarum copia insignes despexisset. Caelum brumale — sic mecum colliges — nisi mire lene calentesque

---

[2]) Nihil nos iuvat ep. 21. Confitetur illic poeta non sibi esse gratiores incultis asparagos in Ravennatium agris arte excultos (*mollis spina*). Primo quidem obtutu concludi inde posse videtur Martialem cum rerum Ravennatium eo tantum tempore saepius mentionem faciat quo ipsum illic versatum esse constet (i. e. tempore libri III cf. ep. 56; 57; 91; 93[8]. cf. IV 25; semel postea XI 21) conscripsisse epigr. illud ipso illo tempore. Attamen poeta, cum asparagi Ravennates non minus saepe Romam adveherentur (Plin. H. N. 19, 54) quam nobiliora alius generis olera (de quibus Marquardt, *Privatl. d. Röm.*, cur. Mau, pg. 426), domi illos vidisse ibique valorem eorum edendo cognovisse potuit. Idem dicendum est de piscibus Gallicis XIII 89.

[3]) Mensibus demum et Maio et Junio sub divo rosas floruisse satis constat; cf. Anthol. Pal. IX 384[11]; 580[3,4] al.

[4]) Raritatem rosarum brumalium pretiumque testantur Seneca ep. 122,8 (*Non vivunt contra naturam, qui hieme concupiscunt rosas?*); Macrob. VII 5, 32; Cf. Hehn, *Kulturpfl. u. Haustiere* etc. pg. 220[3]; Mart. IV 29[4].

crebro solis radios demittens e rosaceis fruticibus illis[5]) flores elicere minime potuisse cum evidens sit,[6]) tales vero hiemes perrarae fuisse videantur[7]) — semel enim tantum simile prodigium memoratum inveni: in Crinagorae epigr. Anth. Pal. VI 345[8]) — non errore credo tenebimur si utrumque epigr. (VI 80 et XIII 127) ad unam eandemque hiemem referemus.

---

[5]) Paestanis in primis, nam illic fuisse rosaria late pertinentia satis constat, cf. ep. IV 42[10]; V 37[9]; IX 60[4]; Anthol. Lat. I 1, n. 132[4]; I 2 n. 646[11].

[6]) Quamquam e compluribus locis discimus non solum rosas (ep. IV 22[5.6]) sed etiam tota pomaria (VII 14) vindemiasque (VIII 68[5]) talibus specularibus puros admittentibus soles subducta esse adurentibus brumae auris, attamen in aedificulis specularibus obtectis Caesarem roseta sevisse quae minus indulgente lenis cuiusdam hiemis sole quam calore arteficiose in talibus specularibus procreato excita gemmas rosasque procreassent ne cum Friedl. statuam altera me ex parte prohibent versus 7 et 8 ep. 80:

Sic quacunque vagus gressumque oculosque ferebat,
Tonsilibus sertis omne rubebat iter,

altera ex parte — id quod summi mihi momenti videtur esse — ipsa illa poetae verba *Nunc tua facta rosa est.* Cum enim aperte Mart. adulctur Domitiano tanquam rosae illae non iam ut antea naturae sed Caesaris potius divina potestate creatae sint, adulationi illi nihil iam restat valoris si in aedibus vitreis ortas eas esse credimus.

[7]) Praesertim cum in universum (cf. Nissen, *ital. Landeskunde* I 400 sq.) hiemes Italicae illorum temporum multo frigidiores fuerint quam nostro aevo. cf. Mart. IV 18. Quin etiam e tabula acta fr. Arv. anni 81 continente conspicuum Martio etiam mense magnas nivium moles haud inauditas fuisse: cf. Henzen l. c. pg. CIX: *M. Róscio Coelio, C. Iulio Iuvenale, có(n)s(ulibus) IIII k(alendas) Apr(iles) in luco deae Diae piaculum factum per kalatórem et publicós eius sacerdoti ob arbores quae a tempestate nivis deciderant expiandas* q. s.

[8]) i. e. tempore Tiberii sequentiumve principum scripto. Crinagoram enim esse poetam vetustiorem Martiale Geistius in diss. sua *Krinag. v. Mityl.* pg. 30 ex ep. Anth. Plan. IV 40 probare studuit, cui O. Jahn. adsentitur. Quid sit iudicandum de verbis epigr. modo citati γείτονες τρισσαὶ Τύχαι et ἀλλὰ καὶ αἱ πάντων πᾶσαι invenies in O. Jahnii commentariolo *Satura* in Herm. vol. II (1867) pg. 245 sq. —

Hoc si recte coniecimus libellus XIII non ante a. 89 editus esse potest. Nam (omittantur paulisper Stobbei Friedlaenderique argumentationes) ep. 7 libri VI concriptum non potest esse nisi vivente adhuc Iulia (ep. VI 3 quicquam valere hac in re nego, cf. Stobb. l. c. pg. 59/60; Friedl. hist. mor. III⁵ pg. 431; ed. 1 pg. 54; 432; Hirschf. l. c. pg. 1506; de VI 13 vide eosdem) vel si quis ita velit protinus post eius obitum (ita ut Iulia intra ipsos illos triginta dies decesserit). Est enim scriptum ep. 7 id quod poetae ipsa verba testantur dies ut plurimum triginta postquam Domitianus legem Iuliam redintegravit. Quae ipso eodem tempore renata est quo Domitianus adhuc consuetudinem illam incestam habebat cum Iulia,[9] sicuti clarissimis verbis Iuvenalis in sat. II v. 29 sq. docet:[10]

Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu, qui tunc leges revocabat amaras,
Omnibus atque ipsi Veneri Martique timendas

In Neronis statuam scriptum est eiusdem ep. Anth. Plan. IV 61; ep. Anth. Pal. VI 244 in puerperium Antoniae cuiuspiam compositum, ad Antoniam (Augustam postea cognominatam, cf. act. fr. Arv. a. 38 c. v. 7, ap. Henzen. pg. XLIII), Drusi uxorem, matrem Germanici Claudiique satis certo referri potest. — Cf. Kiessling, *Phil. Unters.* II pg. 53, adn. 7.

[9]) Domitianum iam vivente etiam Tito consuetudine illa cum Iulia usum esse et e Tac. hist. IV 2 et e Suet. 22 nec minus e Dione LXVII 3 apparet.

[10]) Miras nugas protulisse hac de re video schol. Iuv. ad v. II 27 ut qui dicat *Sed et Clodius fratris Domitiani filiam Iuliam in adulterio sumpserat maritam, cum ipse* (sc. Domitianus) *de adulteris leges severissimas promulgaret.* Luculentum en documentum qua ratione scholia illa congesta sint. Aperte scholiasta e poetae verbis cum de Clodio moecho modo sermo esset (v. 27) nec postea expresse Domitianus auctor ille incestae cum Iulia necessitudinis appellaretur (*et patruo similes effunderet offas* illud v. 38 allatum aut effugit virum illum doctissimum aut non intellexit), nihil antiquius habuit quam ut Iuvenalem seq. versibus Clodii castigasse delictum concluderet. Quin etiam postea VI 116 illud *Et patruo similes* sq. ad Messalinam refert!

Cum tot abortivis fecundam Iulia vulvam
Solveret et patruo similes effunderet offas q. s.

Legem Iuliam ergo viva adhuc Titi filia nec multo antequam obiret denuo promulgatam esse certum est. Mortem autem Iuliae facillime computare possumus e frat. Arv. tabulis septimo octavoque abhinc decennio repertis. Nam in tabula e fragm. annis 1867—1870 e ruderibus effossis composita quae res respicit inde a die III non. Ian. anni 87 usque ad diem XVII kal. Mai. a. 88 gestas[11]) Iulia aliquoties cum Domitiano et Domitia enumeratur (v. v. 7/8; 15; 26; 31; 58). Cum qua tabula subsequentes duae iungendae sunt, altera anno 89 posita,[12]) altera a. 90. Prior continet acta fratr. Arv. inde a die idibus Ian. praecedente[13]) usque ad d. III kal. Febr. (cf. v. 40) facta. E qua tabula satis confidenter conicere possumus Iuliam intra dies illos mortuam non esse. Nam scimus e Iuv. sat. II, Plin. min. epist. IV 11, 6 al. Iuliam cogente Domitiano efflasse animam; e lapide autem illo Domitianum tum Romae non versatum esse constat.[14]) Quare cum sequenti tabula enumerentur quae inde a d. III non. Ian. a 90 acta sint nec Iuliae ibidem mentio fiat (cf. v. 11) deducamus necesse est Iuliam intra menses illos inde a mense Febr. anni 89 usque ad mens. Ian. subsequentis anni pertinentes obiisse. Inde sequitur ep. 7 libri VI conscriptum esse intra ipsum illud undecim mensium intervallum anni 89. Sed paullo fortassis amplius progredi licet. Examinatis enim indiciis haec mihi constare videntur:

---

[11]) In sexto eam invenies CIL. vol. n. 2065 et in Henzeni act. fr. Arv. pg. CXVI—CXX. Sequentes duas in CIL. n. 2066 et 2067 et ap. Henz. pg. CXXI sq.

[12]) Illo enim incisam eam esse anno argumentis probat luculentis Henzen l. c. pg. CXXI adn.

[13]) Cf. v. 13, ubi in decurtata tabula exstant ductus PR. ID\; idus Ianuarias supplendas esse e seq. versibus dilucide apparet.

[14]) Cf. v. 14: *pro salute et vict[oria et reditu] imp. Dom.* . . .
v. 21: *pro salute et redit[u et] victoria* . . . .
v. 41: *pro salute et re[ditu]* . . . .

Redierat Domitianus Romam tempore diem IV kal. Febr. sequente et paulisper illic moratus[15]) ineunte ni fallor aestate denuo in Dacos expeditionem susceperat in Panoniaque ipse substiterat. Quae enim apud Dion. LXVII 7 legimus ultimo belli Dacici anno (89) acciderunt: nam post acceptam a Quadis Marcomannisque cladem de pace iam cum Dacis facienda agitur. Simulque quae Dio enarrat (expeditionem dico in primis illam adversus Q. et M. legationesque de pace ineunda utrimque missas) utique amplexa esse complurium in minimum mensium spatium ilico mihi concedes, ita ut per totam certe aestatem partemque facillime autumni Domitianus illic occupatus fuerit.[16]) Quae cum ita sint Iuliam necare potuit aut prioribus a. 89 annis (excepto mense Ian.) aut tum cum confecta expeditione factaque cum Dacis pace Romam revertisset, id quod equidem cum Hirschfeldio l. c. pg. 1506/7 crediderim. Sed utut res se habet, tantum constat Domitianum et ineunte a. 89 (ut mihi videtur) et posterioribus eiusdem anni mensibus complures certe menses in hostium finibus versatum Romam rediisse, ita ut fieri non posset quin Iuliam compluribus iam ex mensibus gravidam[17]) inveniret seroque eam ut abigeret conceptum cogeret.

[15]) Id quod perquam mihi videtur veri simile. Nam si Domitianus a. iam 88 legem illam theatralem redintegrasset uno alterove libri IV epigr., cum in libr. V octies memoretur, certe eam laudasset poeta. Nam fieri non potest quin ante vergentem iam annum 88 emissam eam esse statuamus, cum imperatorem per ultimos eiusdem anni menses in expeditione fuisse in propatulo sit (cf. act. fr. Arv. ap. Henzen. pg. CXXI v. 13/14, ubi pridie iam id. Ian. pro Caesaris victoria vota nuncupantur). Videtur immo Domitianus prioribus demum a. 89 mensibus edictum illud redintegrasse, Romae igitur tum versatus esse.

[16]) Quocum optume convenit quod triumphus Dacicus ultimis demum a. 89 mensibus actus est. cf. Hirschf. l. c. pg. 1506/7; Henzen pg. 116/117.

[17]) Id quod Iuvenalis quoque versus supra citati testantur.

Re sic se habente dubitationi mihi iam non videtur obnoxium esse quin ep. VI 3 ad Iuliam maiore quam ad Domitiam iure referatur. De Domitiae enim puerperio instante ut hic cogitemus ne minimum quidem nos commovet indicium: immo si gravida fuisset illa, si peperisset, aut mortuum edidisse eam infantem statueremus necesse esset aut hic illicve sive in scriptorum libris (Suet. init. 15) sive in titulis nummisve sive in poetarum carminibus memoratum esse infantem exspectaremus.[18]) Ne dicas infringi opinionem nostram v. VI 3 5/6: Iuliam enim matrem vivam potuisse ut Parcam fortunantem[19]) celebrare[20]) poetam non negabis, si memineris in titulis nummisque domus Caesareae mulieres persaepe dearum formam gerere (cf. Preller, II 433; 441; Eckh. VI pg. 155 al.).

Friedl. notam ad VI 3 non intellego: *Da Domitians Geliebte*, illic ait, *seine Nichte Julia, schon zu Ende 89 starb, muss sich dies Gedicht auf eine Schwangerschaft der Gemahlin Domitians Domitia beziehen. SG III 431*; in praef. vero (ed. I pg. 56/57) librum V autumno a. 89 foras missum, libr. VI inde ab illo tempore usque ad aestatem vel autumnum a. 90 conscriptum esse concedit: non igitur video quid impediat ne ep. VI 3 viva adhuc Iulia i. e. autumno hiemeve a. 89 ortum esse potuisse credamus.

Ex iis quae diximus statuemus libri XIII ep. 127, si quidem ad eandem hiemem referendum sit atque VI 80, non posse conscriptum esse nisi hieme anni 89.

---

[18]) Quae Kerckhoff. ut ad Domitiam tantum spectare posse VI 3 demonstret pg. 8 profert nullius sunt momenti : *turpem*, argumentatur, *illam consuetudinem ut celaret Dom., conceptum a se exigere Iuliam coegisse imperatorem:* talem inesse sensum verbis Suetonianis prorsus nego: si celare voluisset Dom. incestum illud, certe Ephesi palam sacra nuptialia celebrari (cf. Imhof. pg. 129) non passus esset.

[19]) *Aurea fila* cf. Petron. § 29 *praesto erat Fortuna cornu abundanti copiosa et tres Parcae aurea pensa torquentes* ....

[20]) Nihil hac in re nos docent qui servati sunt lapides ad Parcarum cultum spectantes (cf. Preller II 193 adn. 4).

Cum eis quae hucusque disseruimus optume conveniunt ea quae Friedl. in progr. Regim. a. 1862[1] pg. 13 de libellis XIII et XIV disputaverat. Quae omnia quamvis in hist. mor. III[5] pg. 427/28 irrita nec argumentationis instar habenda esse iudicet, argumenta tamen illic prolata integra apponere placet, cum et per se ipsa haud ita parvi momenti esse mihi videantur et iis si quid video confirmentur quae et prioribus iam attuli chartis et sequentibus mox confidam. Argumentatus erat Friedl. hunc in modum:

Librum XIII non longo intervallo a IV seiunctum esse crediderim, quod et hic et ille a Tryphone bibliopola venditus est IV 72, XIII 3; cum primum Secundus (Atrectus) vendiderit I 2, septimum Pompeius Auctus VII 52 sq. At aliquod temporis spatium inter IV et XIII interfuisse necesse est. Nam centurio Aulus Pudens, poetae amicus, natione Umber, tempore libri IV Romae fuit, quoniam IV 13 (de eius nuptiis cum Claudia Peregrina) eo absente scribi vix potuit: contra tempore libri XIII in Pannonia eum meruisse ex disticho 69 patet:

Pannonicas nobis nunquam dedit Umbria cattas:
Mavolt haec domino mittere dona Pudens.

Sed etiam eo tempore quo liber VI componeretur, Pudentem in Pannonia meruisse ep. VI 58 docemur (Cernere Parrhasias dum te iuvat, Aule, triones): contra VIII 63 rursus Romae commorantem invenimus. Non multum igitur a vero aberrabimus si librum XIII eidem fere tempori tribuemus cui sextum. Etiam librum XIV post bellum Dacicum editum esse, e XIV 34 (Falx) colligi potest:

Pax me certa ducis placidos curvavit in usus
Agricolae nunc sum, militis ante fui.

Cum igitur et XIII et XIV saturnalibus prodierint, saturnalia autem anni 93 iam libro VII occupata sint, tres tantum decembres restant, quorum diebus festis haec disticha destinata fuisse sumere possimus: annorum 90, 91, 92.

Priorem in argumentationem pauca iam hic addantur. Friedl. in ep. XIII 69[2] pro *domino* Scriv. Schneidew. al. probato nunc (cf. ed. II pg. 282) *dominae* substituere mavult vocem et librorum auctoritate magis commendatam et ad epigr. sensum multo melius quadrantem (rectissime in adn. ad XIII 69 *Denn dass ein Centurio, von dem M. sonst nirgend eine Beziehung zum Kaiser erwähnt, diesem Geschenke sandte, ist sehr unwahrscheinlich*), ita ut Pudens vel puellae a se amatae vel uxori cattas illas miserit. Illa quidem in re prorsus recte mihi videtur iudicasse v. d., minus autem ei adsentior protinus post pergenti *Bedeutet domina die Frau, so muss P. vor seiner Ehe mit Claudia Peregrina (IV 13) schon einmal verheirathet gewesen sein.* Equidem e contrario sic collegerim: Tempore ep. IV 13 Romae versatus Aulus Claudiam Peregrinam duxerat in matrimonium. Vel eodem anno vel sequentium quolibet missus erat in regiones septentrionales i. e. in Pannoniam (VI 58),[21]) unde tempore libri VIII (ep. 63) vel paullo ante revertisse videtur. XIII 69 igitur cum poeta misisse eum dominae ex Umbria cattas Pannonicas dicit, sequi inde mihi videtur sub *domina* v. 2 uxorem Pudentis IV 13 ductam esse intellegendam,[22]) epigr. igitur nuptiis illis iam peractis, cum Pudens e Pannonia in Italiam revertisset, nec ita multo post reditum, cum aves illae tanquam mirae mitterentur, anno igitur vel 91 vel 92 conscriptum esse. Quibus concessis Friedl. opinio causis sustentata prorsus nullis, illam dico de a l t e r o iam Pudentis matrimonio hic cogitandum esse,[23]) statim

[21]) V 28; VI 54; 78; VII 11; 14 utrum Romae fuerit Pudens necne nihil probant.

[22]) Quocum optume quadrat quod Mart. saepius uxores et ab ipsis maritis et ab aliis dominas esse appellatas testatur cf. VI 21[3]; V 61[3]; XI 7[8]; XII 52[14]; 47[6]. Cf. Friedl. adn. ad V 61 et hist. mor. I[4] pg. 434; Iuv. IX 78 al.

[23]) Si quis ex eo quod Mart. ne verbo quidem nuptias illas fuisse secundas iam Pudentis dicat repetendum esse putat revera Stellae primum matrimonium esse intellegendum ne falso ratiocinetur caveat.

dilabitur simulque quae aliis locis de Xeniorum libelli temporibus disputavimus prospere firmantur.[24]) De altero loco pg. 46/47 egi.

Nihil nos adiuvat in definiendis libri XIII (et XIV) temporibus agri Nomentani mentio (XIII 42; 119): ep. enim I 55, e quo utique concludamus oportet Martiali agellum illum nondum fuisse,[25]) certe tum iam conscriptum erat cum liber I solus in publicum ederetur (cf. pg. 80 sq.). Quo vero anno ed. illa prima foras sit missa ne coniectura quidem colligere licet.

Prorsus idem valet de Iovis templo XIII 74 memorato: certi inde nil sequitur; nam a. iam 82 perfectum id fuisse e nummis scimus (Eckh. VI pg. 377/78; cf. Preller I pg. 238 et adn. 1).[26]) Sed si vera sunt quae pg. 16 sq.

Nam VI 21 poeta celebrat secundos Stellae thalamos (secundos, sicuti e Statii silv. I 2 138 evadit) nec illic Stellam iam semel duxisse uxorem comperimus.

[24]) Id quod Friedl. in adn. ad VII 88 1/4 conicit, Martiali a Romulo fortasse XIII 107 memorato nuntiatum esse Viennam poetae libellos in deliciis habere, optume quidem cum nostra sententia congruit, sed nimis incertum est quam ut inde colligere audeamus quicquam. Observandum nimirum Martialem his tantum duobus locis Viennae mentionem fecisse.

[25]) Haud nescio Friedl. in adn. ad I 55 contendisse Martiali quidem iam tum cum precibus illis Frontonem adiret rus Nomentanum fuisse, nihilo tamen secius poetam, cum exilior esset agellus ille quam qui victum ei praebere posset modicum, epigr. illud precarium scripsisse. Licet uni alterive persuadeatur tali argumentatione equidem non eo adducar ut credam Martialem si revera iam antea dono accepisset Nomentanum ne verbo quidem, ut et desiderium illud novi agelli quasi excusaret et opprobrium cupiditatis incontinentiaeque a se arceret, tetigisse agelli Nomentani proventum nimis exilem. Hac in re rectum vidisse mihi videtur I. Flachius in adn. ad I 55. Friedl. quidem ut sic statueret quaeque dixerat hist. mor. III 5 pg. 397 A. 4 reiceret cogebatur; quod ni fecisset sententiam de temporum ratione libellos XIII et XIV inter et libr. I intercedente prolatam prorsus evertisset.

[26]) E Statii silv. I 6 100 sq. sequi videtur Domitianum etiam a 88 (Friedl. hist. mor. III 5 pg. 442) occupatum fuisse in Capitolio restituendo (*dumque terris, quod r e d d i s , capitolium manebit* — aliter IV 3 16 —

de dei appellatione exposui mecum colliges vix posse scriptum esse epigr. illud tempore iam eo quo libri I—III in publicum dabantur. Est potius compositum XIII 74 ni fallor — idemque valere videtur de XIV 1 — inde a temporibus librum tertium quartumve sequentibus i. e. inde ab a. 86/87.

Altera ex parte in ep. XIII 2 indicium nobis datum est haud aspernandum quo docemur ante tempus illud quo poeta ep. IX 28 conscriberet Xenia foras iam esse missa. Apparet enim luculentissime ex ep. 2 initio:

Nasutus sis usque licet, sis denique nasus,
Quantum noluerat ferre rogatus Atlans,
Et possis ipsum tu deridere Latinum q. s.

epigr. scriptum esse Latino adhuc partes agente scaenicas.[27]) In eiusdem mimi a scaena recedentis imaginem statuamve (rectum enim vidisse Friedl. — cf. adn. ad IX 28 — magis magisque ut credam commoveor — cf. pg. 72/73) IX 28 videmus scriptum:

Dulce decus scaenae, ludorum fama, Latinus,
Ille ego sum, plausus deliciaeque tuae q. s.

Eo igitur tempore quo componeretur ep. IX 28 cum Latinus partes scaenicas iam non ageret, concludemus ep. XIII 2 utique conscriptum esse ante IX 28. Si igitur recte viri docti librum IX a. 94 (exeunte Stobb., ineunte Hirschf., medio vel exeunte Friedl.) editum esse disputarunt pro certo haberi potest ep. XIII 2 minimum ante exeuntem

---

cf. pg. 62 adn. 9). Referendi sunt versus illi vel ad ipsum Iovis templum per sequentes annos exornatum vel ad alia aedificia a Dom. in Capitolio exstructa. Haudquaquam enim Kerckhoffii argumenta quibus probare studet carm. I 6 a. iam 83 scriptum esse (l. c. pg. 12/13), ullo modo firmantur versibus illis.

27) De quo archimimo tum notissimo cf.

Mart. II 72^{3}; III 86^{3}; V 61^{11}, — ubi una cum Panniculo, — I 4^{5}; Iuv. sat. I 36, — ubi una cum Thymele mima commemoratur.

De Latini Thymelesque personis insp. uberrimum Heinrichii excursum in comm. Iuv. pg. 44/45.

a. 94 conscriptum esse. Sequitur inde non minus certe totum libellum XIII ante ipsum illud ep. IX 28 i. e. ante exeuntem iam a. 94 foras datum fuisse. Nam ep. 2 aeque ac primum tertiumque distichis libri XIII iam omnibus confectis et ad edendum paratis compositum libroque inaugurando praemissum esse luce clarius est.

Iam restat ut, priusquam conclusiones faciamus ex iis quae diximus, libri XIV distichis operam demus quaesituri num indicia lateant in Apophoretorum libro quibus nixi quo tempore vel singula epigr. composita sint vel totus liber in publicum sit datus deducere possimus. Sunt omnia quae huc attulit Friedl. libri XIV disticha haec quinque: 34, 53, 107, 181, 182; sed haud scio an lateat temporis indicium in distichis quoque 26, 60, 73, 170, 179; quae supersunt ep. 213 ne minimum quidem tale indicium continent. At iam sciscitemur quaeso quatenus indiciis illis utentibus nobis in definiendis temporibus prodire liceat.

XIV 170 non minus quam XIII 4 conscriptum est bello Chattico prorsus confecto cum iam Dom. Germanici sibi cognomen indidisset quod Martialem inde a libro V (2) saepius usurpasse videmus. Quare dist. 170 ortum est non ante a. 84. Expeditionis illius Chatticae aeque mentio fit ep. 26:

Chattica[28]) *Teutonicos accendit spuma capillos*:
Captivis poteris cultior esse comis.

Distichon 34 (cf. pg. 42), quo Friedl. a. 1862 allusisse poetam ad pacem confecto bello Dacico comparatam putarat, in mor. autem hist. III⁵ pg. 427 (cf. ed. I pg. 51) pacem potius post expeditionem Chatticam factam intellegendam esse censuerat, equidem neque ad pacem Chatticam neque ad Dacicam sed e contrario ad unam Sarmaticam referendum esse contendo. Nam illis demum temporibus rerum status condicioque spem excitare poterant

[28]) Quam scripturam Gilbertus et Friedl. libros secuti rectissime pro lectione *Caustica* a Scriv. et Schneidew. recepta substituerunt.

pacem nullo iam imminente bello diutius esse duraturam; id quod aliorum libr. epigrammatis prorsus firmatur. Prioribus VI libris de pace omnino nihil dicitur; de pace Dacica primus est locus VII 80[1] (*Quatenus Odrysios iam pax Romana triones || Temperat et tetricae conticuere tubae*). de Sarmatica VIII 15[6] (*Nec minor ista tuae laurea pacis erat*). De quieta vero certaque pace inde a libro IX demum sermo est:

IX 70[7]: *Nulla ducum feritas, nulla est insania ferri;*
Pace frui certa laetitiaque licet.

IX 99[4]: *Gloria, quam genuit pacis alumna quies.*

Addas IX 101[21]

Templa deis, mores populo dedit, otia ferro,

ubi verba ultima spectare non possunt nisi tempora bellum Sarmaticum subsequentia.[29])

Confirmatur talibus locis Stangii argumentatio[30]) e Statii silv. IV 1[14] coll. cum Mart. X 28 deducta: *Martialis enim*, ait pg. 16, *cum Ianum alloquatur hisce: „At tu sancte pater" q. s. pronuntiare quodammodo videtur, id quod in omnium qui tunc fuerunt hominum desiderio erat, ut dedicato illo Iani sacello perpetua urbi et orbi pax pareretur, ita fere, ut si divinare liceat, Domitianum ipsum in dedicando illo delubro eiusmodi votum fecisse suspicer.*

Quae cum ita sint non ante exeuntem a. 92 ortum esse ep. 32 pro certo habeo. Sed leviora forsitan talia argumenta tibi videantur quam quibus nimiam habeamus fidem; removeantur igitur e medio.

Ad certiora tempora referenda sunt ep. 60, 73, 179.

---

[29]) Silii Italici versus XIV 685

At ni cura viri qui nunc dedit otia mundo
Effrenum arceret populandi cuncta furorem,
Nudassent avidae terrasque fretumque rapinae

ad Nervam melius referri Buchwaldio, *quaest. Silian.* pg. 11—13, concedo.

[30]) in dissert. *P. Papinii Statii carminum quae ad imp. Dom. spectant, interpretatio*, progr. gymnas. Vitzthum. a. 1887.

Indicium quod primum praebet epigr. haud despiciendum mihi videtur. Stephani balnea illa in Mart. libris nusquam inveniuntur excepto uno loco XI 52^{1}, e quo discimus Martialem haud procul ab iis habitasse iisque uti consuesse (*lavabimur una: Scis, quam sint Stephani balnea iuncta mihi*). Prioribus annis — tempore saltem libr. I et II — balnea tantum memorat Lupi Gryllique quo lavatum se isse confitetur I $59^{3/4}$ (*Redde Lupi nobis tenebrosaque balnea Grylli: ‖ Tam male cum cenem, cur bene, Flacce, lavor?*), praeterque ea Fortunati Faustique II 14^{11}. Sequitur inde si quid video Stephani balnea tempore libr. I. II nondum fuisse aedificata. Nam etsi poetam mutasse domicilium quod tempore libr. I. II. ei erat concederemus (cf. adn. 31), ita ut tempore libr. XI Stephani balneis cum propius sita essent uteretur, reclamare tamen mihi videtur I 59.[31])

Sed paullo amplius ni fallor in definiendis temporibus illis quibus exstructa sint balnea illa progredi possumus. Si enim quae de tempore cum totius libr. I tum epigr. I 59 et 62 pro certo statuere conabor (cf. pg. 80 sq.; 87/88) revera aliquid valent, ep. igitur I 59 tempore demum libr. IV compositum est, balnea illa tum nondum fuisse exstructa et ep. XIV 60 post tempora libr. IV cadere facile concedes; si illic erravi optumo tamen iure concludere nobis licere puto et balnea illa et ep. XIV 60 in tempora cadere libris I. II seriora.

Sed iam ad ep. 73 accedamus quaeso. Scimus Martialem cum Atedio Meliore eodem quem Statius ali-

---

[31]) Quae si nimis tibi temere conclusa videntur alteram mecum quae patet viam ineas oportet. Scimus Martiali in Quirinali colle conductam fuisse cenaculam (cf. I 70; $108^{3/4}$; V $22^{3/4}$; $64^{5/6}$; VI $27^{1/2}$), usque ad libri ut videtur septimi vel octavi tempora (VII 92^{5}). — IX 18^{2}; 97^{8} propriam iam habitabat domum eamque haud procul a Quirini aedibus (X 58^{10}; XI 1^{9}) sitam. Domum illam propius facile ad Stephani balnea sitam fuisse ita ut illis exinde uteretur poeta celebraretque ea sane videri potest veri simile. Tum vero ep. XIV 60 inde a tempore demum libri VII exortum esse sumeremus necesse esset.

quoties adulatur (v. silv. II 1. 3. 4) artiore quadam familiaritate coniunctum fuisse, si minus iam secundi libri tempore quartique (II 69; IV 54) attamen certe tum cum libellos VI et VIII componeret (VI 28; 29; VIII 38), sine dubio ergo desinente nono, incipiente decimo decennio. E libelli Statiani II c. 4 docemur Atedio fuisse psittacum perdocilem nec modo verba recitata reddentem sed etiam αὐτοδίδακτα saepius proferentem et qui Caesaris nomen salutantis instar edere consuesset. Prorsus idem cum Mart. disticho illo 73 de psittaco dicat cuiuspiam, quid magis est consentaneum quam ut coniciamus et ipsum distichon fecisse illud in eandem Melioris avem? Conferas quaeso versus

Statii	et Mart.
7: *affatus etiam meditataque verba* | *Reddideras.* 29: *‚Ille salutator regum nomenque locutus* | *Caesareum et queruli quondam vice functus amici,* | *Nunc conviva levis monstrataque reddere verba* | *Tam facilis!‘*	*Psittacus a vobis aliorum nomina discam:* *Hoc didici per me dicere ‚Caesar, have‘.*

Quocum optume convenit Atedio Meliori ipso eodem tempore psittacum fuisse quo Mart. artioribus necessitudinis vinculis cum Atedio constrictus esset. Nam Statii carmen illud II 4 laudatio est funebris in psittacum illum modo mortuum, conscripta circa annum 89/90 (editus est silv. liber II Friedl. teste a. 92 vel 93, cf. hist. mor. III[5] pg. 444); Martialis vero librum VI a. 90 editum esse satis constat. Inde sequitur Martialis illud ep. 73 scriptum esse nisi ipsis annis 89 vel 90 attamen proxumis certe ex illo tempore annis; nam longum per spatium avem illam Atedio fuisse ne credamus impediunt Statii v. 36 et 37:

. . . ‚senio nec fessus inerti
Scandit odoratos Phoenix felicior ignes.‘ —

Ep. denique 179 quod unum superest in examen vocetur.

Negarat Friedl. (hist. mor. III [5] pg. 427 = ed. I pg. 52) praefracte ullum libr. (XIII et) XIV epigr. spectare ad bellum Dacicum Sarmaticumve. Illam tamen sententiam haud ita certo stare videri antea iam (pg. 46/47) ostendimus; quaeque illic diximus fulciuntur ni errore teneor ep. 179, quod equidem omnino non intellego nisi bellum Sarmaticum eo tempore cum scriberetur a Caesare gestum esse sumo. Necessitudo enim artissima intercedit inter ep. 179 et libr. VII ep. 1, ubi poeta Domitianum in Sarmatas proficisci parantem (2 [1]) hisce verbis prosequitur:

Accipe belligerae crudum thoraca Minervae.
Ipsa Medusaeae quem timet ira comae.
Dum vacat, haec, Caesar, poterit lorica vocari:
Pectore cum sacro sederit, aegis erit.

Domi Caesarem aegida illam gestasse haud mihi facile quisquam persuaserit; praesertim cum et Minerva v. 1 certe non inconsulte fortuitove appelletur belligera et sequenti epigr. aperte exponatur qua de causa Caesar loricam sibi induerit. Si igitur libr. XIV ep. 179 poeta ait Domitianum aegida habere, luce mihi clarius videtur Caesarem in expeditione quadam esse occupatum. Sed utrum sit illa expeditio Chattica, Dacica an Sarmatica quaerendum. Mea sententia de Sarmatica tantum cogitandum est. Hoc enim modo argumentemur necesse est. E prioris epigr. verbis: *Accipe belligerae crudum thoraca Minervae* sq. compositis cum alterius ep. versibus:

Dic mihi, virgo ferox, cum sit tibi cassis et hasta,
Quare non habeas aegida. ‚Caesar habet' —

prorsus dilucide apparet fuisse in Minervae templo loricam quandam aegidi similem (*Sarmaticam* (?) Friedl. ad VII 1) statuae deae — quam ob causam iam non possumus divinare — circumdatam [32]) eamque sic textam ut facile in

[32]) Haud prorsus inauditum fuisse illis temporibus deorum simulacris hominum more vestimenta induere edocemur e Suet. Cal. c. 22:

vestimenti humani (i. e. Caesaris) usum desumi posset;[33]) atque illam loricam Caesarem cum adversus Sarmatas profecturus esset[34]) fortasse ea de causa quod a periculis improvidis — nam sponte eum pugnantium tumultui se obiecisse nemo iam credet — vindicari se ea posse putaret[35]) vel, si minus illud veri simile videtur, eam ob rem ut magis Palladis se filium profiteretur[36]) desumpsisse, desumptam

Templum etiam numini suo (sc. Caligulae) *proprium, et sacerdotes et excogitatissimas hostias instituit. In templo simulacrum stabat aureum iconicum, amiciebaturque cotidie veste, quali ipse uteretur.*

[33]) Iovis aegida revera gestasse nonnullos tum temporum imperatores prorsus dilucide evinci potest e sphragidibus nummisque compluribus tempori inde a medio octavo usque ad medium nonum U. C. saeculum interposito addicendis; de qua re cf. *le dictionnaire des antiquités grècques et romaines, d'après les textes etc.*, ed. Daremberg-Saglio, I pg. 103/4. Legimus ibi: *L'attribut de Jupiter est devenu un insigne de la puissance souveraine. Les Lagides semblent l'avoir les premiers adopté. Elle ne paraît pas sur les monnaies des premiers Césars, mais bien sur leurs camées, comme sur celui du cabinet de Florence — où Auguste est représenté avec l'égide, la tête ceinte du bandeau et tenant le sceptre, sur le grand camée de Paris, Tibère — peut-être est-ce un symbole de la paix donnée au monde. Une statue de Caligula, trouvée à Pompéi, a l'égide sur l'épaule, Claude la porte ainsi agrafée dans le monument de son apothéose, au musée de Madrid. On la voit sur les monnaies d'Alexandrie à l'effigie de Néron, et la première monnaie romaine sur laquelle elle apparaît est un denier d'or de Galba; on la remarque ensuite sur les monnaies ou sur les camées de plusieurs empereurs* (Saglio). De Domitiano cf. adn. nostr. 36.

[34]) Friedl. hist. mor. III^5 pg. 433; ed. I adn. ad VII 1 loricam illam Domitiano iam Roma profecto in Sarmatiam missam esse unde coniecerit haud scio. Epigrammate VII 1 talem sententiam fulciri vix puto concesseris.

[35]) Superstitiose enim revera Domitianum coluisse Minervam ab eaque vindicari se a periculis credidisse Suetonii (vit. Dom. 15) verba confirmant haec: *Minervam, quam superstitiose colebat, somniavit excedere sacrario, negantem ultra se tueri eum posse, quod exarmata esset a Iove.*

[36]) Cf. quaeso Mart. IV 1^5; V 2^7; VI 10; VIII 1^4; in primis IX 3^{10} de Domitiani cum dea illa necessitudine. Nec minus aliunde

sibi induisse.[37]) Quod si conceditur nihil iam restat dubii: si non probatur, minime prorsus ἀπορέομες τί χρὴ δρᾶν· haud enim puto negabis id saltem concludi posse ex utroque epigr. Caesarem certe e Minervae templo loricam illam illic servatam deprompsisse eamque induisse. Inde ab hominibus adulantibus — idemque etiam si prior mea sententia rata tibi videtur firmaque sumas oportet — quibus stultus ille Domitiani erga Minervam adfectus satis erat notus satisque erat notus Caesaris animus

---

comperimus Domitianum non modo dei (vel deae i. e. Palladis?) se filium publice pronuntiasse (cf. Cohen, *méd. grècq.*, Paris 1867 pg. 251 nr. 2981: ΑΥΤ. ΚΑΙС. ΘΕΟΥ ΥΙΟС ΔΟΜΙΤ. СΕΒ. ΓΕΡΜ. *avec l'égide!* cf. 2982 et 2983.), sed etiam Palladis (Philostr. vit. Apoll. VII c. 24), de qua Quint. X 1 § 91 (*familiare numen*) et Stat. silv. IV 1[22] (*tuae Minervae*), cuius in honorem Quinquatria Domitianum condidisse perhibet Suet. c. 4 et Dio LXVII 1. Quin etiam ipsam Romam Dom. tempore sub Minervae effigie repraesentatam fuisse scimus (Froehner, *les méd. de l'emp. rom.* pg. 19 et Koerte, *eph. arch.* 1885, XLIII pg. 30). De Dom. aegide cincto insp. A. Millin, *monum. ant. inéd.* I pg. 185 (*on la voit* (sc. l'égide) *sur les médailles de D.* et nummos Graecos (veluti Cohen nr. 1822 al.).

[37]) Domitianum enim non tam insanum fuisse ut tale quiddam facere potuisset nemo mihi obiciet: non minus eum mente fuisse lapsum Caligula (adn. 32) satis constat. Quin etiam saepius consulto istius facinora modo risum concitantia modo summe detestanda imitatus esse videtur. Pauca afferam: Ut Cal. in patris memoriam Septembrem mensem Germanicum appellat (Suet. 15), ita Dom. et Sept. et Oct. in suum honorem Germanicum et Domitianum nuncupat; ut ille divinam sibi asserit maiestatem, ita hic; Cal. nocturnos ludos edidisse missiliaque sparsisse scimus (Suet. 18), idem constat de Dom.; Ille *gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo sole velis, emitti quemquam vetabat* (Suet. 26): Dom. ὑετοῦ πολλοῦ καὶ χειμῶνος σφοδροῦ ἐξαίφνης γενομένου, οὐδενὶ ἐπέτρεψεν ἐκ τῆς θέας ἀπαλλαγῆναι κτε; alter sibi sumit illud εἷς κοίρανος ἔστω quod sequatur, alter οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη (Suet. 22: Dom. 12); idem utriusque ludibrium triumphi (Cal. 47); ut nugae tractentur ab hoc non minus quam ab illo senatores convocantur (Suet. Cal. 54; Dio Cal. 5; Iuv. IV;) etc. Quae cum ita sint, mirumne videri potest Domitianum et in eo Caligulae ineptias secutum esse, quod ut ille suum simulacrum veste amiciebat, ita Dom. Palladis statuae loricam illam indueret?

ad adulationem illuc spectantem audiendam propensus, fingi famaque dispergi potuit tanquam ipsa dea filio loricam illam tradidisset. Quae fama ab imperatore nimirum libentissime accepta effecit ut etiam tum temporum artifices deae statuas pusillas sine aegide fingerent; in tale Minervae statunculum Mart. quoque ep. XIV 179 scripsit.

Sed utut res se habet tantum mihi constat ep. VII 1 et XIV 179 tam arta necessitudine inter se coniuncta esse ut utique ad unum eundemque eventum referendum esse utrumque non possis denegare: tempore igitur fere eodem orta sunt: VII 1 (sicuti ex ep. 2 conspicuum) tum cum Dom. adversus Sarmatas exercitum ducturus esset, XIV 179 cum bellum Sarmaticum nondum esset confectum: utrumque igitur certe a. 92.

Restat ut leviter hic stringamus quaestionem pg. 15/16 iam motam, illam dico utrum inter epigr. libelli carmina atque singula libr. XIV disticha artior intercedat ratio necne. Summa fiducia contendere haud dubito si minus alia attamen certe ep. XIV 53:

Nuper in Ausonia domini spectatus harena
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat

arte cohaerere cum epigr. lib. poemate 9 (et 22), cum utroque epigr. rhinocerotis aperte geminum cornu gerentis, beluae igitur — sicuti iam ex eo sequitur quod semel tantum in nummis exstat — certe perraro Romae visae mentio fiat. Quae Friedl. ut ea quae olim (hist. mor. III[5] pg. 426/27) explicavit removeat, denuo in. ed. I pg. 136) profert, persuadere nemini possunt.

Quodsi quae antea de epigr. libelli temporibus disputata sunt constant, non potest alio tempore compositum esse ep. XIV 53 nisi vel ipso a. 89 vel annis continuo sequentibus.

Quae supersunt epigr. (XIV 165: ep. libr. 21; XIV 181: 25 al.) cum nullius sint momenti missa faciam.

Alia vero indicia ad temporum librorum XIII et XIV rationem spectantia nusquam puto inveneris.

Recolligenti igitur mihi quae hucusque disputata sunt totamque distichorum et Xeniorum et Apophoretorum libri naturam intuenti de libris XIII et XIV hoc dici posse videtur: conscripta sunt utriusque libelli disticha intra intervallum inde ab anno fere 84 usque ad a. 92 patens; nam insunt libello utrique epigrammata quae et medii desinentisque noni et ineuntis decimi decennii tempore composita esse vidimus. Distichorum igitur perpaucorum quae quidem satis certum temporis indicium contineant ratio haec fere est:

Conscripta sunt:

1) post a. 83/84 (bello Chattico confecto Germanicique cognomine assumpto) ep. XIV 26. XIII 4. XIV 170.
2) tempore libri VI, i. e. ca. a. 90 (Hirschf. Friedl.); 91 (Stobbe)
   a) hieme a. 89 (rosae Caesaris brumales) . . . . ep. XIII 127.
   b) ca. a. 91 vel 92 (A. Pudens e Pannonia reversus) . . . . ep. XIII 69.
3) post ed. certe libr. I. II, fortasse post tempora vel lib. IV vel lib. VII (Stephani balnea) . . . . ep. XIV 60.
4) tempore libr. IV vel postea (Trypho bibliopola) . . . . ep. XIII 3.
5) inde ab a. 86/87 (= libr. III) (Dom. deus et Iuppiter appellatus) ep. XIII 74. ep. XIV 1.
6) a. vel 89 exeunte vel haud ita multo post (rhinoceros duplo cornu instructus) . . . . ep. XIV 53.
7) a. 92
   a) tempore expeditionis Sarmaticae (Caesar Minervae aegide indutus) ep. XIV 179.
   b) confecta illa expeditione (pax certa) . . . . ep. XIV 34.

8) ante autumnum a. 90, sed non multo ante (Atedii Melioris psittacus) ep. XIV 73.
9) ante tempora libr. IX (a. 94) (Latinus archimimus) . . . . ep. XIII 2.

Quominus sic statuamus non puto impedimento erit quod nusquam nec in Xeniorum nec in Apophoretorum libello ulla inveniatur belli Dacici mentio. Nam et in librorum I—IV epigr., quae permagna — ne dicam maxima — ex parte eiusdem belli tempore composita sunt, semel tantum poetam imminens bellum Dacicum respexisse vides (I 22[6]), ita ut causa nescio qua poeta commotus esse videatur ne expeditionum illarum mentionem faceret. Nec sequentibus libris saepius bellum Dacicum commemorat, quod omnino quater tantum breviter tetigit (V 3; VI 4; 10; 76). Bellum contra Sarmaticum minimum septies decies invenies celebratum (cf. VII 1; 2; 6; 7; 8; 80; 84; VIII 2; 4; 8; 11; 15; 21; 50; 54; 65; IX 31).

Sic ergo de compositione et editione librorum XIII et XIV statuendum puto:

Conscripsit Mart. vel inde ab a. 84 vel inde ab annis proxume praecedentibus usque ad a. exeuntem fere 92 (supra enim illum terminum nulla nos ducunt vestigia) ea quae in illis libellis continentur disticha, pauciora fortasse prioribus, posterioribus plura seposuitque in eum finem ut, si in copiam satis idoneam accrevissent, complecteretur ea publicaretque. Hoc enim modo per aliquot annos nugas saltem libri XIII esse ortas facile mihi persuaserim ut poeta prout vel misisset amicis munera Saturnalicia vel accepisset ipse, disticho iocoso vel prosequeretur munus vel accepto munere amico mittenti talibus distichis grates ageret (vid. quaeso ep. XIII 4; 6; 9; 11; 16; 22; 29; 30; 31; 38; 42 et 14; 19; 23; 37; 44; 48; 49; 103; 105; 109 al.).

Interposita esse talibus alia quoque disticha consentaneum est. Epigr. autem illa hanc prae se ferunt naturam ut unius anni Saturnalibus universa orta esse vix crediderim.

Simile valere mihi videtur de ultimi libri distichis (de

quibus cf. Friedl. ed. II pg. 295 sq.), ita ut utriusque libelli disticha complurium facile annorum spatium comprendere possint.

Prospere, si verum video, quae modo exposui Birtii firmantur observationibus metricis in ed. Friedl. I pg. 30 sq. (cf. pg. 32 sq.; pg. 48/49 exstantibus. Eximiam enim illam curam diligentiamque quam utriusque libelli distichis componendis poetam adhibuisse in aperto est, perpolitam illam omnium epigr. elegantiam inde nimirum deducendam non habemus qui apte explicemus nisi statuendo Martialem complures in minimum annos ut ambos illos libellos absolveret consumpsisse.

CAPUT III.

De quibusdam epigrammatis non eodem tempore quo cetera librorum in quibus exstant poematia compositis.

Priusquam quibus temporibus singuli libri foras sint missi accurate examinemus, in universum omnium XII librorum epigr. conspectu quaeso amplectamur disquisituri utrum omnia unius cuiusque libelli poemata eodem quo sunt conscripta tempore sint evulgata necne. Quam quaestionem si persequemur mox in compluria epigr incurremus talia quae cum ceterorum eiusdem libri epigr. ordine adeo non consentiant ut priore potius alia ex parte, alia ex parte posteriore tempore scripta esse videantur. Contemplemur igitur:

1.

Epigrammata ea quae prioribus iam annis scripta, hanc vero illamve ob causam retenta, posterius demum sint evulgata.

Non multum nos morabitur prior quaestionis ineundae pars: epigrammatum enim huc pertinentium de quibus

satis confidenter iudicare nobis liceat tam parcus est numerus ut paucis possimus ea absolvere. Attamen haud omnino silentio praetereunda sunt cum et ipsa testes nobis sint satis graves poetam in disponendis epigr. haud anxie ubique omnia epigr. uno eodemque anno exorta in eundem libellum congessisse. Quae sine ullo dubio huc refero poematia haec sunt:

Ep. X 25 poetam (id quod iam Friedl. in nota ad ep. 25 recte ait) sensu prorsus diverso atque ep. VIII 30 de homine quolibet damnato Scaevolae facinus in arena imitante iudicare vides: VIII 30 laudibus constantiam istius virtutemque celebrarat mire largis: hic vero non mirandam ait esse audaciam hominis illius qui tormenta graviora evitaturus simulata animi atrocitate tale facinus committere pararit.

Quae verba (ep. X 25) prorsus in contrarium dicta intellegi non possunt nisi statuimus (sic Friedl. l. c., cui adstipulari non dubito) Martialem eodem tempore quo VIII 30 ortum est (nam evenisse illud spectaculum tempore munerum Sarmaticorum puto) ep. quoque X 25 scripsisse: alterum quippe quod libro Caesari dedicando inserturus esset poeta in Domitiani nimirum adulationem composuerat; alterum quid ipse sentiret professurus conscripserat retinueratque ne Augusti auctoris certe istius similiumque sescentorum munerum odium isto sermone sibi contraheret. Trucidato Flavio epigr. illud tam diu repositum deprompsit ex arca depromptumque intermiscuit iis quae, ut anthologiam Nervae offerendam (a. 97/98) componeret vel libri X ed. alteram (a. 98/99), collegerat. Quod si statuimus vere esse factum, nihil iam restat dubii.[1])

[1]) Nil de tempore ep. X 25 primus nos docet versus *In matutina nuper spectatus harena*: eiusdem enim similisve notae vocibus in quaestionibus chronologicis maiorem fidem haberi non posse quis non novit? Data hic occasione Kerckhoffii l. c. eandem rem stringentis errorem removebo. Ait illic (pg. 16) *Etruscus pater, cuius de morte Martialis epigr. VII 40 est, diem supremum obiit annum septua-*

Ep. VIII 41 (in hist. mor. pg. III[5] 434 et in ed. I pg. 60 typothetae errore VIII 44) et 71 Saturnalibus iam anni 92 (i. e. tempore libr. VII) scripta a poeta esse retenta sequentisque libri poematiis admixta perbene Friedl. docet. Adscribi isti velim poemati ep. 33 quod ipso eodem tempore ortum esse in propatulo est, nec minus ep. IX 31 quod revera mense iam Ian. anni 83 (Friedl. adn. ad 31) compositum esse videtur, ante editionem igitur libr. VII.

Quae supersunt epigr. huc spectantia omnia in libro XII exstant. E quibus singula paucis sine dubio iam annis ante scripta Martialem iam tum cum Prisco libellum paucissimis diebus compositum traderet recepisse crediderim, ep. dico 6 (tempore certe protenus Domitiani necem sequente scriptum); 11 (a. vel ipso 97 vel haud ita multo ante ortum); 15; 48 (Dom. ut videtur temporibus com-

---

gesimum alterum agens (Mart. VII 40, 6), ante septimi Mart. libri editionem, qui liber sine dubio mense Dec. a. 92 *editus est (Friedl. pg.* 432); *inde sequitur, ut Etruscus* a. 20 *natus sit; cum autem sexaginta quattuor annorum senex (silv. III* 3, 146) *anno* 84 *fere in exsilium missus post autumnum anni* 89 *restitueretur (quia restitutio sexti Martialis libri carmine* 83 *celebratur, quintus autem liber autumno a.* 89 *prodiit), consequens est quinque circiter annos eum in exsilio fuisse* q. s. Quae computatio prorsus falsa est. Primum e Mart. ep. VII 40[6] sequitur Etruscum non 72 sed 90 annum agentem decessisse; apud Mart. enim l. c. Olympiadas q u i n q u e annorum esse spatia recte admonet Friedl. adn. ad IV 45[3]: natus igitur erat Etr. non anno p. Chr. 20 sed a. 2. Nec est ut porro K. computat 64 annos natus in exilium missus sed anno aetatis 80 peracto: Statio enim III 3 [146] lustra (absolute dicta; addit si quadriennium intellegi vult vocem huc spectantem, veluti *Elea lustra:* silv. II 6 [72]) non minus sunt quinquennia (cf. III 5 [7]; IV 2 [62] al.), a. igitur 82 exul est factus; annos denique, cum a. fere 90 (M. ep. VI 83) revocaretur, non 5 sed 8 circiter in exilio versatus erat. Visne demonstrem tibi rectam meam esse computationem? Si senex 90 annorum mortuus est Etr., a. vero 80 natus in exilium missus, interesse vides 10 annorum spatium. Anno cum 90 (temp. libr. Mart. VI) revocaretur annosque 2 post (a. 92 i. e. tempore libr. VII) animam ederet, fieri non potest quin 8 annos restantes in exilio fuerit.

positum, cf. v. 11 *Albana commissatio*. 12 *Capitolinae dapes*. 13 *ipse deus*); 57 (ante X 2; cf. ep. 92; 96 3/4; 103; 104). Epigr. modo enumerata ab ipso poeta recepta esse haud scio cur dubitemus sumere;[2]) dubitationem nobis iustam unum tantum potest excitare ep. 5, quod anthologiam illam e librorum X et XI epigr. electis compositam aperte olim inauguraverat (cf. Friedl. adn.). Difficillimum erit diiudicatu utrum ipse poeta ep. 5 apposuerit illuc an vir nescio quis posteriorum temporum.

Ep. IV 25, 68 al. quae primo quidem adspectu speciem praebere videntur, tanquam prioribus quam cetera eiusdem libri temporibus orta sint, cum nulla ut sic iudicemus nos cogat necessitas seponere placet.

Id vero quod ostendere volui cum ex iis iam quae dixi dilucide appareat, restat ut ad alteram nos cap. III partem eamque graviorem convertamus.

2.

De epigrammatis posteriore tempore ortis atque inter priorum librorum epigrammata positis.

Ac primum quidem ut ab epigrammate incipiam sententiam nostram in titulo modo pronuntiatam maxime firmante animum mecum convertas in libr. I epigramma secundo loco positum.

---

[2]) En iterum quid sibi voluerit Friedl. in dubio relinquit ut qui in ed. I pg. 67 de libello Prisco dono oblato dicat: *Man wird also annehmen müssen, dass M. das Buch in einem der nächsten Jahre erweitert, und dass diese erweiterte Ausgabe sich erhalten hat,* in prima vero ad libr. XII nota (ed. II pg. 218) hunc in modum iudicet: *Das uns erhaltene Buch von 98 Epigrammen kann wohl nicht der paucissimis diebus zusammengestellte brevis libellus (XII 1,3) sein, sondern eine vermehrte Ausgabe (Einl. S. 65—67), die vielleicht sogar erst nach Martials Tode veranstaltet ist.*

a) De epigr. I 2.

Poemation illud cuius plurimi versus et hic et postea contemplatione digna sunt diligentissima integrum huc transcribo:

Qui tecum cupis esse meos ubicunque libellos
Et comites longae quaeris habere viae,
Hos eme, quos artat brevibus membrana tabellis:
Scrinia da magnis, me manus una capit.
Ne tamen ignores ubi sim venalis, et erres
Urbe vagus tota, me duce certus eris:
Libertum docti Lucensis quaere Secundum
Limina post Pacis Palladiumque forum.

Comperimus e v. 8 tempore eo quo ep. 2 ortum est forum illud Palladium vel Palladis (sic a poetis, vulgo forum transitorium vel pervium, Nervae[3]) forum in universum appellatum) notum iam omnibus fuisse Romanis.

Quam ob rem argumentum inde deduxit Friedl. — eiusque vestigiis quamvis dubitanter insistere videtur Jordan. Top. I 2 pg. 449 adn. 18 — fori illius exstructionem temporibus iam libri I, i. e. anno 85/86, inceptam minime fuisse[4]) a Domitiano[5]) (cf. adn. ad I 2 [8]). Attamen rectum hac in re vidisse Friedl. praefracte nego: ad exitum immo

[3]) Qui postea illud dedicavit: cf. Aur. Vict. Caes. 12 *(dedicato prius foro quod appellatur pervium quo aedes Minervae eminentior consurgit et magnificentior)*; ipsoque eodem tempore quo Minervae templum i. e. a. 98 (cf. CIL. VI 953: *imp. Nerva Caesar Au[gustus Germanicus] pont. max. [aedem Mi]nervae fecit*) dedicatum esse forum Jordano I 2 pg. 449 veri videtur simile.

[4]) Ita ut — id quod procul abesse a probabilitate tibi videbitur si memineris regionem istam sitam fuisse in celeberrima urbis parte (Mart. X 28 [2]) — praeterlapsos esse annos in minimum 11—12 statueremus necesse esset, priusquam et Iani aediculo et aliis aedificiis publicis exornata esset area illa.

[5]) E Suet. verbis (Dom. 5) nil sequitur; haec tantum ait: *Novam autem excitavit aedem in Capitolio Custodi Iovi et forum quod nunc Nervae vocatur.*

prorsus alium paucis quae exstant indiciis in auxilium advocatis perveni hanc fere ratiocinandi viam ingressus.

Mart. in primis IX libris — praetermisso uno ep. I 2 — Nervae iam forum notis illis tribus (Romanum dico magnumve vel forum κατ' ἐξοχήν appellatum, Caesaris, Augusti) accessisse ne verbo quidem prodit. Primus enim locus e quo certi aliquid de area illa discimus[6]) ep. X 28 versus sunt hi:

Pervius exiguos habitabas ante penates,
Plurima qua medium Roma terebat iter:
Nunc tua Caesareis cinguntur limina donis,
Et fora tot numeras, Iane, quot ora geris.[7])

Quibus verbis addas ep. X 51 v. $^{11}/_{12}$:

Sed nec Marcelli Pompeianumque, nec illic
Sunt triplices thermae, nec fora iuncta quater,

in primisque Statii verba haec (silv. IV 1 $^{11}/_{15}$):

Ipse etiam immensi reparator maximus aevi
Attollit vultus, et utroque a limine grates

[6]) Saepius quidem poeta trium fororum mentionem fecisse in istis libellis invenies (cf. *forum triplex* III 38[4]; VIII 44[6]; *tria fora* VII 65[2]), sed prorsus nihil nobis expedit amplius ac si dixisset illic vel *forum Romanum* (I 76[12]) vel *fora omnia* (II 64[7]) vel *fora* denique (VII 28[5]; XIV 135) *forumve* (V 20[6]; VII 64[4]): omnibus enim illis locis fora aeque atque in Stat. silv. IV 9[15] (tempore igitur novi fori iamdudum excitati) sic intellegenda sunt ut poeta non tam ipsas illas areas quam res illic actitatas, advocatorum igitur et causidicorum negotia subaudiri voluerit. Errat Jordanus ut qui Top. 1 2 pg. 449 adn. 18 contendat: *noch im J.* 96 *kennt Martial* 8, 44[1] *nur ein forum triplex (das grosse und die beiden ältesten Kaiserfora).*

[7]) Friedlaendero simili atque saepius fiducia in adn. quoque ep. X 28[5] statuenti epigr. illud in Nervae laudes conscriptum esse ne adstipuleris caveas. Quid impedimento sit ne cum Stangio poemation illud eodem iure quo X 51, eodem quo Stat. carm. IV 1 (cf. v. 11 sq.) ad Domitianum referamus non possum investigare. Immo ep. X 51 v. 13 cum Jovis Capitolini aedes sequentique v. — id quod iam Colesso (in adn. ad X 51) coll. epigr. IX 2 et 4 pro certo habuerat — Flavium ut videtur templum modo (tempore libri IX) exstructum memorentur, equidem iure multo maiore utrumque Domitiani temporibus adiudicari puto.

Ianus agit, quem tu vicina Pace[8]) *ligatum*
Omnia iussisti componere bella novique
In leges iurare fori. q. s.[9])

Quae indicia si animo non praeoccupato perpenderis statim opinor mihi adsentieris inde colligenti non modo a. iam 94 desinente[10]) sed etiam haud ita multum temporis ante forum illud certe fuisse excitatum. Post enim expeditionem demum Sarmaticam Ianum cum Pacis templo ligatum esse — i. e. Iani sacellum eversis remotisque aedificiis eo usque fori condendi locum occupantibus Pacis aedibus magis ut ita dicam esse appropinquatum[11]) — revera igitur inde ab exeunte demum a. 92 urbis illam regionem in planam commutatam esse aream luculenter poetae demonstrant verba illa *quem tu vicina Pace ligatum* sq. (quae verti nequeunt aliter quam: *dadurch, dass du ihn verbunden hast).* Si enim ex illo tempore quo tali modo artior Iani cum Pace necessitudo efficiebatur bellum revera esset gestum, verba modo adposita a poeta eoque adulante dici potuisse prorsus denego.

Quae cum ita sint non possum facere quin ep. quoque I 2 anno demum vel 93 vel 94 a poeta scriptum esse pro certo statuam; quam sententiam Martialis epigr. X 28 et 51 — si vere eodem tempore orta sunt quo liber X 1, i. e. anno 95 — adeo non infringere ut sustentent eam fulciantque haud opus est accuratius exponere.

Atque multo confidentius quae modo disseruimus tenebimus, cum alia duo argumenta ex eodem poemate repetita serius aliquanto quam plurima libri I carmina

[8]) Sic enim pro *pace* scribendum est.

[9]) Silv. IV 3⁹ sq. a Statio Domitiani merita nullo temporum ordinis respectu habito enumerantur: inde igitur qui Jordan. l. m. c. conicere potuerit Statium illic de foro videri loqui oriente non possum dispicere: plane nihil valent hanc in partem versus illi.

[10]) Statii enim carmen cum ad kal. Ian. anni 95 scriptum sit, paucis ut plurimum diebus ante utique ortum est.

[11]) Stangium quoque (pg. 16) eodem sensu versus illos Papinianos interpretatum esse video.

compositum esse ep. I 2 probare videantur; e quibus alterum statim afferre placet, de altero vero quodque accuratiore dignum sit observatione paullo post dicam (cf. pg. 74—76).

Fieri vix posse ut duobus epigr. continuis (I 2. 3) duas diversorum bibliopolarum tabernas allatas esse credamus, Iordanus iam in disquisitione *zur röm. Topogr.* (Herm. vol. IV pg. 232/33) ratiocinatus inde iniuria — cum uno eodemque tempore ep. 2 et 3 in lucem missa esse putaret — Argiletum (3[1]) situm fuisse post Pacis aedes Minervaeque forum vicinum concluserat.[12]) Recte idem cum Mommseno[13]) Bekkeri reicit sententiam qui ex ep. 2 et 3 collatis cum ep. 117 repetendum esse censuerat Atrecto cuidam Secundo in regione Argiletana post vicinas Martis Minervaeque aedes tabernam fuisse librariam. Concesso vero hoc, in ep. 2 et 117 diversos librarios esse memoratos — nec facile quispiam infirmare poterit solidam Mommseni argumentationem — inde iam ilico deduces, praesertim cum Martialem non semper iisdem bibliopolis libellos tradidisse vendendos ex ipsis epigr. (cf. I 2; 117; IV 72; XIII 3: I 113) eluceat, utrumque epigr. non eodem tempore esse conscriptum. Utrum vero epigr. seriori tempori sit addicendum haud difficile est dictu: ep. 117 positum fuisse nusquam potest nisi in libr. I eoque elegantissime culto exornatoque (cf. 117 v. 3 *epigrammaton libellum*: v. 15—18); sequitur inde si quid sapio non posse scriptum esse ep. I 2 nisi posteriore demum tempore.

Eamque opinor mecum eo tenacius tenebis sententiam si duabus illis causis tertiam (cf. pg. 74—76) adiunxeris:

---

[12]) Cf. Topogr. II 449 adn. 18 extr.: *Dass der Buchladen contra Caesaris forum (Mart. I 117) nicht identisch ist mit dem anderen limina post Pacis Palladiumque forum* (I 2. 3.) *ist sicher* (*Herm. IV* 232).

[13]) Cf. Jordan. l. c. pg. 233: *Wenigstens dass der Secundus des* 2. *und der Atrectus des* 117. *Gedichtes dieselbe zwei cognomina führende Person sei, ist mit Recht von Mommsen bezweifelt worden.*

vix enim iure meritoque contendes spernenda mea esse argumenta prae iis quae a Friedl. aliisque v. d. prolata invenimus.[14])

Sed priusquam conclusiones inde repetamus, alia quaeso compluria poemata arcessamus, quae cum ad similem nos ducere exitum videantur, quae modo disputavimus vera esse confirment. Accedamus igitur si placet ad

b) Epigr. I 65:

Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba
Et dici ficos, Caeciliane, iubes.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci,
Dicemus ficos, Caeciliane, tuos.

Apparet poetam — sicuti saepius — epigr. illo facete repulsare Caeciliani impetus maligne in locum aliquem in poetae carminibus exstantem factos. Sensum enim ep. 65 prorsus nullum praebet nisi sic interpretamur: opprobrio, ait poeta, nobis cum des, Caeciliane, quod *ficûs* per errorem pro *ficos* forma iusta tua sententia legitimaque usurparimus simulque praecipias ut sermonis usum sequamur, libenter tibi oboediemus: dicemus ergo in futurum *ficus, quas scimus in arbore nasci* || *dicemus ficos, Caeciliane, tuos.* Inde ni fallor evadit luculentissime Martialem, *cum aliqua iocaretur in charta, ficûs* vocabulum eodem sensu atque *ulcera*

[14]) Haud silentio praeterire hic volo Birtium in libro *das antike Buchwesen* pg. 83 84; 358, cum non accuratius quaenam ratio intercedat inter bibliopolas illos inquisierit, nihil nos iuvare; quae vero Friedl. hac de re protulit — cf. ed. I pg. 16/17 *Mindestens die ersten vier waren bei Trypho zu haben (IV 72), ausserdem das erste in Rollenform (und eleganter Ausstattung) bei Atrectus (I 117), als Pergamentbuch (zur Reiselectüre) bei Secundus (I 2)* — et L. Haenny in diss. sua *Schriftsteller und Buchhändler in Rom,* Halle 1884 p. 69 (Tryphonem omnes Martialis libellos curasse vendendos ab eoque singulos Atrectum Secundumque accepisse, cf. Friedl. l. supra cit. adn. 1 — ipsam enim illam dissert. hucusque inspicere non potui —), artificiose quidem et sagaciter sunt excogitata, sed nullis argumentis fulciuntur confirmanturque.

quarta igitur declinatione derivatum posuisse. Ne diu quaeras quisnam sit locus talis qui Caeciliano illi opportunitatem dederit poetae verba nasute traducendi atque irridendi, aperiam tibi nullum alium esse potuisse — cum alibi nusquam poeta vocabuli istius acc. plur. usurparit — nisi ep. VII 71 quod in duobus versibus hisce desinit:

Cum sint ficosi pariter iuvenesque senesque
Res mira est, ficos non habet unus ager.

Sed una obstare videtur difficultas: scriptam illic invenimus in libris (excepto uno Vossiano C saec. XIV) formam ficos; quam si re vera ibi a poeta adhibitam esse concederemus, necessitudo illa nostra sententia inter I 65 et VII 71 statuenda tolleretur. Ne multis te morer: notio cum illic desideretur non *frugis* (nam fruges agros revera procreasse in aperto est) sed *ulceris*, ulceris vero notionem — sicuti e I 65 conspicuum — poetam ficus vocabuli quarta declinatione derivati forma exprimere consuesse, aperte, cum ne mica quidem salis inesset epigrammati VII 71 si ficos legeretur, ficûs scripturam restituamus oportet.[15])

---

[15]) Ne mihi opponas infringi quae modo coniecerimus ep. XIII 28 versu 2: dudum Gilbertus eumque secutus Friedl. rectissime pro scriptura *ficus erant* a librariis vitiose scripta genuinam iam vocem *ficus erat*, unam illam epigrammatis sensu probatam, restituere.

Attamen alius exstat locus qui iure multo maiore dubitationem nobis movere possit: lemma dico epigrammati XIII 23 praescriptum. Recentioris enim aevi editores omnes — lemmatis nimirum et praecedentibus et subsequentibus commoti — scripturam *ficus Chiae* quamvis librorum auctoritate minime fulciatur (unus Thuaneus *civiae*) pro singulari numero recipere non dubitarunt. Tantum vero valere lemmata illa ut adversus codd. auctoritatem servatam immutemus scripturam haud scio an confidenter possimus pronuntiare, praesertim cum et sing. num. haudquaquam distichi versibus repugnet et saepius poetam rerum in lemmatis memoratarum numerum mutasse videamus (cf. ep. 12—15; 39 sq.; 49; 87 (Mart. enim plur. num. illic posuisse, ep. docet VIII 33 v. 13; aliter Plin. N. H. 21, 87); 83—86; 91—92; 93—95). In Gilberti vero et Friedlaenderi sententiam qui discedit concedat necesse est Martialis tempore sine ullo alio quam generis discrimine vocabulo isto et secundo et quarto ordine declinato fructum

Inde quid sequatur luce clarius: ep. I 65 conscriptum esse non potest nisi confecto iam publicatoque ep. VII 71

c) De epigr. III 36 et IV 40.

Duo iam hic illa epigr. contemplari placet, cum non minus certe quam I 2; 65 posteriore demum tempore exorta esse videantur.

Priore epigr. poeta Fabianum (fictum nimirum nomen)[16] increpat quod ab amico officiis iam patronis praestandis admodum defatigato nihilo secius *operam sine fine togatam* exigat versuque septimo pergit:

---

significatum esse. Nihil nos hac in re promovent grammaticorum praecepta veterum qui de utraque forma usurpanda haec constituunt:

	Probus.	Priscian.	Charisius.
1. Fructus.	haec ficus ^{2} (e Mart.)	haec ficus ^{4} (e Mart.)	haec ficus ^{2} (e Lucil.; Plin.) haec ficus ^{4} (e Varr.)
2. Morbus.	hic? ficus ^{4} (e Mart.).	hic ficus ^{4} (e Mart.)	hic ficus ^{2} (e Mart.) hic? ficus ^{4} (*quidam*)
3. Arbor.	hic ficus ^{4} (e Varr.)	—	ficus ^{4} (e Plin.)

docent enim iam indicia ipsa, id egisse viros illos ut ipsi certum inter singulas illas formas discrimen invenirent statuerentque. Accuratius disquisiturum ad Neue, lat. Forml., I pg. 509—513 delego. — Sententiam meam supra prolatam si vere — quod equidem ne credam ipso ep. I 65 prohibeor — poetam plurali numero in lemmate illo usum esse concederemus, everti, nemini opinor in mentem veniet dicere: in ipsis illis formis fere ubique optumae notae libros diversas prae se ferre scripturas, ita ut facillime mendum ingeri potuerit in ep. VII 71 versum 5, satis superque constat (cf. I 65; Schneid. ed. crit. VII 53^{8}; 71^{6} al.).

16) Recte nomen illud in Friedl. indice (ed. II pg. 376) erectis litteris expressum. Typothetae errore ibid. pg. 373 *Afri* nomen ut verum inclinatis litteris positum est. Ipse enim Friedl. vix persuasum sibi habere potuit Martialem ep. IV 77; 78; X 84; XII 42 vero nomine posito aequalem tam nasute irridere ausum esse. Huc accedit quod Afer ille IV 37 memoratus dives, Afer ille ep. VI 77 pauper est homunculus. Ep. IV 37, minus iam IX 9, nomen verum esse potest: P. Giese igitur qui (in diss. *de pers. a Mart. comm.*, Gryphisw. 1872 pg. 5) omnes personas Afri nomen gerentes fictas esse opinatur nimis fortasse audacter iudicat.

Hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres,
Ut sim tiro tuae semper amicitiae?
Hoc merui, Fabiane, toga tritaque meaque,
Ut nondum credas me meruisse rudem?

Similem in ep. IV 40 materiem tractatam invenies, ubi inde a v. 5 poetam audimus Postumum nescio quem divitem patronum[17]) (unum certe ex iis qui egentibus poetis nihil conferre consuessent, sed *tantum admirari, tantum laudare disertos* didicissent) acerbe traducentem:

Tecum ter denas numeravi, Postume, brumas:
Communis nobis lectus et unus erat.
Iam donare potes, iam perdere, plenus honorum,
Largus opum: expecto, Postume, quid facias.
Nil facis, et serum est alium mihi quaerere regem q. s.

Quae duo epigr. si cum v. d. scripta esse annis 87/88 et 88/89 statueremus, in summas delaberemur angustias. Decimus enim Mart. liber duo in fine praebet epigr. (103 et 104), quae rectissime statuentibus v. d. (Stobbe l. c. pg. 67; Friedl. hist. mor. III[5] pg. 437; ed. I pg. 64) composita sunt ceteris libri X[2] (i. e. alterius editionis) epigr. iam omnibus confectis. Loquitur in utroque Mart. de profectione in Hispaniam prope instante: 103[7] legimus

Quattuor accessit tricesima messibus aestas,
Ut sine me Cereri rustica liba datis —

et 104[8]

Quid mandem tibi, quaeris? Ut sodales
Paucos, sed veteres et ante brumas
Triginta mihi quattuorque visos
Ipsa protinus a via salutes q. s.

Altera libri X editio cum sit foras missa anno 98

---

[17]) Nam Postumus non minus quam Fabianus nomen est θετικόν, cuius rei certum argumentum inest verbis

II 23: *Non dicam, licet usque me rogetis,*
Quis sit Postumus in meo libello,
Non dicam.

cf. Buecheler., Mus. Rh. 37, pg. 233 sq.

(Momms.; Friedl.) vel 99 (Stobb.), intervallum igitur interpositum sit inter ep. III 36 et duo illa libri X² poematia annorum minime decem, inter IV 30 et X 103; 104 annorum minime novem, non queo ulla ratione probabili consensum efficere inter annos illos triginta et triginta quattuor altera ex parte, altera ex parte inter annos 88/89 et 98/99. Libri enim cum ipsi spatio annorum 9—10 seiungantur, tamen poeta, quem III 36 et IV 40 triginta annos Romae versatum se esse audimus confitentem, tempore libri X² non — sicuti exspectaremus — annos minimum undequadraginta ibi vixisse concedit. Si porro Stobbei, Hirschf., Friedl. auctoritatem secuti sumimus, X 103 et 104, cum ultima sint libri X² epigr., conscripta esse vel anno 98 vel a. 99, Romam igitur venisse Martialem anno vel 64 vel 65 — tunc III 36 et IV 40 composita esse a. 94 95 iusta argumentatione concludamus necesse est. Martialem ut nomina ita annorum numerum finxisse (Friedl. sic in adn. ad IV 40) prorsus non mihi videtur veri simile; nomina ut reticeret vera cogebatur ne patronorum acerbe vituperatorum odium sibi excitaret enuntiatis eorum nominibus; cur autem h i c annorum numerum mutasse eum statuamus prorsus nullam video causam. Unum alterumve annum facile addere potuisse poetam libenter concedo, quinque vero vel fortasse octo non credo. — Ne longus sim: prorsus idem mihi valere videtur de ep. III 36 et IV 40 quod de I 2 et 65; tempore utrumque conscriptum est posteriore quam cetera librorum III et IV epigr., anno fere — si quidem Stobbei, Hirschf., Friedl. argumentationes recte sunt conclusae — vel 94 vel 95: in idem igitur fere tempus — si qua argumentationi modo expositae fides inest — cadere vides ep. III 36 et IV 40 atque ep. I 2.[18])

[18]) Fortasse opinio ista commendatur epigrammate I 54: illic enim poeta sperat fore ut vetus aliquando Fusco e novo fiat amicus: IV 40⁹ autem animo iam depresso attenuatoque serum esse alium sibi acquirere regem queritur. Nonne inde videtur apparere intervallo triennio quadrienniove maiore utrumque epigr. seiunctum fuisse?

De uno quod adhuc superest epigrammate non minus certe tempori seriori addicendo — est ep. I 1 — proxumis agam chartis (cf. pg. 77; ibid. adn. 28).

d) De dubiis quibusdam similis notae epigrammatis.

Strictim iam breviterque epigrammata attacturus quaedam, de quibus ne confidenter iudicemus indiciorum vetamur exilitate, primum in examen protrahatur ep. I 108, quod hisce incipit versibus:

Est tibi (sitque precor multos crescatque per annos)
Pulchra quidem, verum transtiberina domus:
At mea Vipsanias spectant cenacula laurus.
Factus in hac ego sum iam regione senex.

Martialis, sic olim computaram, quod tempore libri X² (ep. 96²) Latia factum se esse in urbe senem confitetur haud ita est mirum: multa enim per annos proxume elapsos erat perpessus;[19]) anno vero aetatis ut plurimum

[19]) Adversa in primis valetudine factum est ut poeta qui antea senectutem debilitatemque procul a se abesse compluries confitetur (cf. I 54; II 16⁵/₆; II 90³; IV 25⁷ al.), inde a tempore libri VI de infirmo fragilique corporis statu queri incipiat. Primam eiusmodi querelam legimus ep. VI 70⁷:

At nostri bene computentur anni
Et quantum tetricae tulere febres
Aut languor gravis aut mali dolores,
A vita meliore separentur:
Infantes sumus, et senes videmur.

Videtur quidem poeta iam tempore libri V (ep. 9) in febrem incidisse:

Languebam: sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum, Symmache, discipulis.
Centum me tetigere manus aquilone gelatae:
Non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

Nec tamen febris illic memorata fuisse potest maligna illa, qua poetae valetudo in tempus prorsus erat infracta: VI 43 iam confirmandae valetudinis causa rus ei ire licuit:

Me Nomentani confirmant otia ruris
Et casa iugeribus non onerosa suis.

45—48 (cf. X 24) senem iam se esse dicere eum potuisse minus videtur veri simile.

Sed magis mihi magisque nunc persuasum habeo poetam simili atque subinde Horatius modo per iocum *sene* hic voce usum esse, ut multorum annorum numerum Romae peractorum exprimeret (cf. Flachii adn. ad I 108).

Ep. I 88 Alcimi deplorat poeta fatum pueri *crescentibus annis* (v. 6/7) sibi erepti; ep. igitur V 64[2] cum praeter Callistum Alcimus memoretur, poetae nimirum servulus, duplici modo iudicare nos posse in aperto est: aut ep. I 88 post V 64 scriptum esse dicemus aut alii servo poetam gratum sibi defuncti Alcimi nomen indidisse statuemus. Quo vero iure Giese l. c. pg. 5 et Friedl. ed. II pg. 373 Alcimi nomen priore epigr. verum, altero fictum esse contenderint, huc usque dispicere non potui.

Consideranda dein duo sunt ep. II 57 et V 26: mirum enim videri potest quod poeta — cum alias duo epigr.

Sed iam VI 58 in morbum de integro perniciosissimum incidisse videtur, cuius vi cum VI 58 scriberet plane erat depressus:

O quam paene tibi Stygias ego raptus ad undas
Elysiae vidi nubila fusca plagae!
Quamvis lassa, tuos quaerebant lumina vultus
Atque erat in gelido plurimus ore Pudens.
Si mihi lanificae non ducunt pulla sorores
Stamina q. s.

Ille est morbus qui poetae VI 70[15] extorsit gemitum

Non est vivere, sed valere vita;

cuius reminiscitur VIII 25:

Vidisti semel, Oppiane, tantum
Aegrum me male sq.

VI 86 poetam denique refici quidem rursus videmus, sed medicorum adhuc praecepta anxie observantem:

Setinum dominaeque nives densique trientes,
Quando ego vos medico non prohibente bibam?

Res cum ita sit, poetam complures in minimum menses gravissime aegrotasse concedemus; ita ut quae antea de epigrammaton libelli temporibus disputavimus (cf. pg. 31) prosperrime observatione modo proposita firmentur.

ratione aliqua inter se iuncta haud maiore temporis intervallo seposita videas cf. II 91/92 : III 95 : IV 27; III 8 : 11; III 16 : 59 : 99; III 68 : 86; IV 71 : 81 al. — nonnullis hic iam annis peractis iocosam demum illam excusationem in lucem miserit: fortasse igitur ep. V 26 protenus post II 57 confectum postea in eo quem nunc tenet loco positum est.

Nec minus mire de puero septimum aetatis annum agente (sicuti ex ep. IV 45, quod non in quintum (Friedl. adn.), sed in sextum pueri diem natalem scriptum est, computari potest) ep. V 6 dicitur v. 6: *Sic Burrus cito sentiat parentem*; quod si de puero dicitur tres fere annos nato (cf. VI 38 [1]) non est cur miremur; hic vero facillime suspicio oriri potest ep. V 6 in prius quam IV 45 tempus delegandum esse.

Unum protenus priusquam utrum eiusmodi in libris quoque posterioribus reperiantur epigrammata necne inquiram poema paucis absolverim: ep. I 56:

Continuis vexata madet vindemia nimbis:
Non potes, ut cupias, vendere, copo, merum.

Sensum epigr. tunc demum praebet sanum si Ravennae factum, coponem igitur Ravennatem quemvis illusum esse sumimus. Absurdum nimirum insulsumque credere poetam coponi Romano desiderium supposuisse meri pro vino aqua diluto — viliore igitur — vendendi. Aliter res est de vinariis Ravennatibus. Scimus Ravennae aquas dulces maximi fuisse pretii, quia aequor illic fluminibus salem admiscuerit (Strabo V pg. 213); quocirca Mart. III 56:

Sit cisterna mihi, quam vinea, malo Ravennae,
Cum possim multo vendere pluris aquam.

Illis igitur coponibus meri pro mixto vendendi desiderium fuisse dicere potuisse poetam — per iocum nimirum — consentaneum est. Quin ipsi sibi semel idem accidisse istic moranti facete festiveque iocatur poeta in ep. III 57 (artissime cum epigr. praecedenti conectendo):

Callidus imposuit nuper mihi copo Ravennae:
Cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

Tantam esse inopiam aquae ad bibendum aptae affirmare vult, ut etiam copo mixtum sibi poscenti merum ut lucrum faceret maius vendiderit.

Sequitur inde[20]) ut ep. I 56 vel Ravennae vel tum cum poeta modo Romam istinc esset reversus conscriptum esse statuamus.

Non multo post ep. I 56 exorta esse videntur ep. I 59 et 62, de quibus cf. pg. 87/88.

Inde a libro VII tales turbas transpositionesque iam non evenisse pro certo habeo: duo enim illa libr. IX poematia (IX 28 et 86) quae quidem obiter intuentem decipere possunt accuratius si inspexeris prorsus nihil hanc in rem probare affirmabis.

Ep. quidem IX 28 si cum Heinrichio (comm. Iuv. pg. 44) aliisque v. d. in Latini epitaphium scriptum esse mavis, fieri non potest quin serius intercalatum esse poemation illud inter cetera libri IX epigr. pro certo habeas: Latinum enim usque ad Domitiani fere necem vitam egisse e Suet. verbis c. 14 et 15 all.[21]) satis liquet;

---

[20]) Accedit huc quod ep. quoque III 59 copo Ravennas perstringitur:

Sutor cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus,
Fullo dedit Mutinae: nunc ubi copo dabit?

Ut Bononiae, ait poeta, sutores (cf. III 16; 99), fullones Mutinae, ita Ravennae copones cum sine negotio, quia deficiente illic aqua homines ut merum bibant cogantur, divites fiant, in munera edenda impensas facile sumptusque facere possunt.

[21]) Suetonium quidem nonnulla revera paullo inaccuratius rettulisse quis est quin sciat? Errore — ut exemplum afferam — tenetur in eo quod Dom. 3 *Domitiam altero demum Domitiani imperantis anno Augustam appellatam esse* refert, quamvis e fratr. Arv. tabula anni 81 prorsus dilucide appareat Domitiani uxorem kal. iam Oct. a. 81 illud cognomen gestasse (Henzen l. c. pg. LXI v. 46), idemque testificatur Euseb. Alio loco (c. 10) non minus errat Suet. Scis (e Tac. Agr. 2; Plin. epist. VII 19⁵; Dion. LXVII 13) Senecionem stoicum libellos composuisse de vita Helvidii Prisci amicumque eius Arulenum

nonus autem altera ex parte liber anno iam 94 in publicum est missus. Sed minus bene vel potius omnino non in Latinum sepultum referri posse epigr. illud ut credam versibus commoveor in primis 6—10, quos nullo modo mortuo iam archimimo illo conscriptos esse potuisse nemo non concedet.

De altero vero epigr. (IX 86) facere non possum quin totus Gilberti me adplicem sententiae Fleckeiseni annalibus a. 1887 pg. 147/48 insertae. Male sane Friedl. (cf. adn. ad II 6³ et IX 86⁴) versus quarti sq. intellexit sensum: aperte ut consoletur Silium conititur poeta, in memoriam amico revocando ipsa numina duris obnoxia esse fatis (v. 9): ad exitum illum ut veniat casus singulorum enumerat deorum quibus a Parcis inmitibus filii erepti sint carissimi; hinc v a t e m fuisse Silii filium ne deducamus exemplorum (sic bene Gilb.) vetamur ratione. [22]) Severum immo poetam a Mart. nisi saepius attamen certe ep. V 11 ³/₄; 80 laudatum eundem fuisse atque Septimium illum Severum a Statio in silv. IV 5 celebratum (cf. Giese, l. c. pg. 30) ad eundemque ep. quoque XI 57 scripsisse poetam cur denegemus (Friedl. adn. ad II 6³) nulla nos quantum video movere potest causa iusta, praesertim cum e Statii vers. (IV 5⁵⁷ sq.):

Hic plura pones vocibus et modis
Passu solutis q. s.

pateat Septimium illum Severum Musis otium suum dare consuesse.

Rusticum de Thraseae vita: Sueton. vero adversus illorum auctoritatem unus *Rusticum Paeti Thraseae et Helvidii Prisci laudes edidisse* aperte falso memorat — sed errores sunt levioris momenti. Indicia vero instantis necis illic allata re vera paullo ante fatalem ultimi Flavii diem evenisse Dionis verba (LXVII 16 extr.) satis confirmant.

[22]) Severum artem exercuisse poeticam minus fieri videtur veri simile Plinii verbis (ep. III 7²), utpote qui haec de Severi obitu satis habeat dicere: *usque ad supremum diem beatus et felix* (sc. Silius Ital.), *nisi quod minorem a liberis duobus amisit, sed maiorem melioremque florentem atque etiam consularem reliquit.*

Quae cum ita sese habeant sine ulla dubitatione utrumque epigr. nihil hanc in partem probare licet asseverare; nec omnino in libris VIII—XIII ullum inveni epigr. quod posteriore tempore quam cetera unius cuiusque libri poemata ortum seriusque demum poematis illis interpositum esse suspicari licuerit. Haud igitur dubito exploratissimum ducere in prioribus tantummodo septem libris epigrammata postea intercalata exstare. Quod qui sit explicandum iam videamus.

Scimus e permultis locis Martialem quidem libros suos singillatim publicare consuesse;[23]) non minus tamen evidenter ex aliorum locorum testimoniis evinci posse videtur et iunctim edidisse poetam quosdam libellos: ep. IV 82 duos illos libros Rufo missos unam amplexam esse chartam, ita ut amico alterum modo librum lecturo chartae ea pars cui alter libellus inscriptus esset convolvenda esset, ipsa poetae verba *tibi charta plicetur altera* (v. 5/6) testantur;[24]) de libris I. II uno volumine iunctis cf. quae protuli pg. 80 sq.

Quae si minus argumentorum instar habenda esse tibi videbuntur, attamen unum est epigr., quo ut sic statuamus cogimur: ep. dico I 2, cuius versus huc spectantes sunt hi:

Qui tecum cupis esse meos ubicunque libellos
Et comites longae quaeris habere viae,
Hos eme, quos artat brevibus membrana tabellis —

Ad duorum vero priorum librorum editionem ne cum Friedl. (adn. ad I 1) ep. I 2 referas prohibent et ipsa illa quae de epigr. illius tempore supra (pg. 60 sq.) dixi et ep. I 2 versus modo adpositi.

---

[23]) Cf. quaeso X 90¹; II 1; 93; III 1; 2; 4; 5; VI 1 — sexcentos invenies locos similes quos huc afferre operae non est pretium.

[24]) Aliter Birtius, *D. antike Buchwesen*, pg. 19, cum quo Friedl. facit (adn. ad IV 82 v. 7). Quibus ne adstipuler ultimi illi me retinent versus.

Amborum enim librorum (I. II.) epigrammata una in charta posita volumen effecisse tam gracile in propatulo est ut aeque commode atque liber membranaceus eandem materiae copiam continens in itinere (v. 2) quoque legi posset (cf. Birt. l. c. pg. 130/131); atque re vera priores duos Valerii libros (eodem igitur modo quo libri ep. IV 82 memorati) non multiplices cepisse tabellas membranaceas, sed in lucem eos esse missos in una charta eaque duobus instructa umbilicis conscriptos, ep. iam docet I 66, de quo cf. pg. 81 sq. Iis qui in membranis scribebantur libris omnibus ambitum fuisse longe maiorem quam libellis in chartis papyraceis (plicandis igitur circa umbilicum) evulgatis, clarissime ostendunt Mart. ep. XIV 184 (Homeri opera), 186 (Vergilii), 188 (Ciceronis — orationes? cf. Birt. pg. 86 —), 190 (Livii), 192 (Ovidii Metamorph.): XIV 183 (Homeri Batrachom.), 185 (Verg. culex), 187 (Menandri Thais), 189 (Propert. lib. I), 191 (Sallustii historiae — cf. Birt. pg. 80/81; Friedl. adn. ad 191[2]), ita ut homines itinera ingredientes (cf. ep. XIV 188 : I 2 [1—3]) libros plerumque secum portarent membranaceos. Huc cum accedat quod optume poetae versus XIV 186[1] *Quam brevis immensum cepit membrana Maronem.*

et 190[1] *Pellibus exiguis artatur Livius ingens*

respondent verbis I 2

Hos eme, quos artat brevibus membrana tabellis;

nec minus bene distichon XIV 188

Si comes ista tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone vias

cum ep. I 2 versibus 1—2

Qui tecum cupis esse meos ubicunque libellos
Et comites longae quaeris habere viae

consentit, optumo opinor iure contendere licet Martialis

illam editionem in membranis factam (I 2) libros comprendisse multo plures quam libellos I et II.[25])

Restat igitur ut quaeramus de qua editione Martialis illic loquatur. Si rectum video, poeta amicis adhortantibus tandem indulgens priores VII libellos uno volumine collectos in publicum dedit. Quod ut coniciam epigrammatis adducor VII 11; 17; VIII 3. E priorum enim duorum epigr. versibus hisce:

Cogis me calamo manuque nostra
Emendare meos, Pudens, libellos.
O quam me nimium probas amasque.
Qui vis archetypas habere nugas —

et *Ruris bibliotheca delicati,*
Hos nido licet inseras vel imo.
Septem quos tibi misimus libellos
Auctoris calamo sui notatos:
Haec illis pretium facit litura

aperte cum eluceat poetam libellos I—VII critici instar retractasse, ep. vero VIII 3 initium:

‚Quinque satis fuerant: nam sex septemve libelli
Est nimium: quid adhuc ludere, Musa, iuvat?
Sit pudor et finis: iam plus nihil addere nobis
Fama potest: teritur noster ubique liber‘ q. s.

optume ad editionem referatur plures libellos unum in

---

[25]) Nisi enim plures in pugillaribus illis membraneis (v. 3 *brevibus — tabellis*: XIV 180 *brevis — membrana*: XIV 184 lemm., cf. Birt. l. c. pg. 85) libri inscripti fuissent, non video cur istam editionem poeta commendarit longum inprimis iter ingressuris; viae enim longitudinem coartare nequibant nisi multis legendis epigrammatis. Quae igitur perbene Birt. l. c. pg. 86 de ep. XIV 188 dicit (*Durch die longitudo viarum ist hier die Grösse des Inhalts angedeutet: „deine Reise kann lang sein, bevor du dieses Heft ausgelesen haben wirst“*), ea non minus certe de ep. I 2 versibus 2/3 valent. Friedl. quidem in nota ad. ep. XIV 188 [2] Birtii istam opionionem hisce repulsat verbis *Birt S. 86 versteht dies irrig von der Grösse des Inhaltes* — sed cur per errorem Birtii dicta esse verba statuat, dein qui ipse poetae interpretetur versus illos ne verbo quidem tetigit.

tomum congestos amplectentem,[26]) haud puto temeritas mihi obicietur conicienti libros I—VII revera iunctim edidisse poetam ipsamque illam editionem inaugurasse epigrammatis I 1 et 2.[27])

Huc accedit quod libro octavo sequentibusque epigrammata serius conscripta inserta esse indiciis iam non probatur ullis.

Prioribus igitur septem libellis — sic colligo — cum curam intentiorem daret operamque poeta, optima ei data erat occasio non modo litura quae vel minus ei videbantur placuisse vel quae nimis offenderant delendi simulque alia epigr. quae partim fortasse modo in arca posita nondum erant evulgata partim usque eo singillatim circumlata erant septem illorum librorum epigrammatis interponendi; qua in re poeta sic disponere maluit carmina recenter adicienda ut pristinum magis epigrammatum in singulis libris litura minutorum numerum carminibus admixtis adaequaret, quam ut anxie temporum quibus singula essent orta ordinem sequeretur. Cui septem librorum collectioni dein et epistula illa quam in fronte libr. I positam vides praescribebatur et ep. ut dixi 1[28]) et 2.

De tempore quo foras ista sit missa collectio dubitatio iam non existet: non potest foras esse data nisi bello Sarmatico prorsus confecto ac pace restituta i. e. inde ab anno 93 (cf. pg. 62); in ipsumque annum 93 delegandam eam esse statuamus necesse est, si ep. VIII 3 eam subaudiisse credimus poetam; cui rei non oblocuntur ep. III 36 et IV 40: nam facile unum alterumve annum

---

[26]) Dudum iam Schneidewinum similem scis in modum iudicasse, utpote qui in ed. crit. praef. pg. III/IV adnotet: *Cum autem poeta septem priores, ut opinor, libros iunctim ederet libroque primo cum alia insereret tum epigr. quaedam a fronte totius collectionis, statim primo epigr. gloriari licebat* q. s.

[27]) Eandem ad collectionem mea quidem sententia referenda sunt ep. IX 84 (v. 9/10) et 99 (v. 5/6).

[28]) Conferas quaeso quae illo de epigrammate pg. 81 dixi.

iusto annorum Romae peractorum numero addere potuisse Martialem supra iam concessimus. (cf. pg. 68).

CAPUT IV.

De librorum I et II ratione temporibusque.

In novam hanc disquisitionis partem artissime cum commentarioli nostri capite modo absoluto cohaerentem transgressurus haud nescio adeo non mollem patere viam quam securus possim persequi, ut ubique e contrario obstent salebrae saxaque dispersa per quae eundum mihi sit. Attamen licet saepius obstaculorum mole retinear, eo usque cum perventurum me esse possim sperare, ut quae modo de librorum I—VII ratione dixerim confirmentur aliquatenus simulque quae a v. d. de libris I et II falso sint disputata detegantur, fulciantur quae recte sint prolata, quantum in me est virium ad enucleandam priorum duorum librorum rationem consumam.

Huic quoque quaestioni non eam qua opus est operam dedit Stobbeus l. c. pg. 62/63, ut qui satis habeat coniecisse Martialem cum iam per viginti annos Romae vixerit et epigrammaton libellis *toto notus in orbe* fuerit, collegisse carmina per illud temporis spatium composita singillatimque in publicum missa, ita ut duos ex iis libellos centenorum utrumque epigrammaton conficeret. Libellum I a poeta — quam ob rem iam non dispicere nos posse — retentum nec tamen multo post librum II editum esse: anno fere vel 86 vel 87.

Enixiore Friedl. cura in hist. mor. III[5] pg. 428/29 protractis quaecunque in epigr. recondita iacent indiciis denuo inquisiverat et hunc fere in modum argumentatus erat: fecit Martialis e libellis gracilibus iam dudum in amicorum circulis circumlatis notisque, ut et amicis adhortantibus satis faceret (II 6 [17]) et plagiarios ne libellos suos expilarent impediret (I 52; 53; 79; 38; 66; 72), collec-

tionem maiorem duos (?) libros seiunctos inter se (?) amplexam. Fortasse iam antea (?)[1]) epigr. illa posteriore tempore in libris I. II. exstantia in charta I 44 maiore dicta evulgaverat ex eaque delectu habito minorem composuerat chartam (I 44), ita ut libri I et II qui novis epigr. aucti **nobis** sint servati editionis iam alterius instar habendi sint. Singulorum igitur librorum primum in lucem missorum ratio haec ei videbatur esse:

1) Libelli graciles.

2ª) Maior charta.
|
2ᵇ) Minor charta.

3) Libri I et II seiuncti.

Qua sententia in editione iterum immutata in dubio illic relinquit, quid de priorum librorum nexu sit iudicandum vel ut rectius dicam inter duas modo huc modo illuc sententias anceps fertur. Opinatur enim illic aut eodem tempore publicatos esse ambos libros inter se iam seiunctos (ed. I pg. 16; 52; 162; adn. ad I, 1—3) simulque eos tum circumlatos esse in unum tomum artatos (adn. ad epist. I; ep. III 1) — aut edidisse poetam primum solummodo libellum quem auctum posthac paulatim in libros sequenti tempore I et II disciderit (ed. I pg. 52/53; 162).[2])

---

[1]) Recte quidem intellexisse mihi videor Friedlaenderum; sin erraro excusatum me habeat velim; sunt enim v. d. verba illic prolata mire obscure atque implicate dicta, ita ut quid sibi voluerit vix possit enucleari.

[2]) In editione quoque saepius Friedlaenderus quae modo dixerat postea rescidit, ita ut quid statui velit difficillimum sit diiudicatu: Conferas adn. ad ep. I verba haec: *Entweder hat M. seine vorräthigen Epigramme sogleich in zwei, gleichzeitig herausgegebene Bücher vertheilt, oder (w a s w a h r s c h e i n l i c h e r i s t) zuerst nur einen Theil derselben als e i n Buch herausgegeben, und wurde dann durch dessen beifällige Aufnahme veranlasst, es so stark zu vermehren, dass eine Theilung in zwei Bücher nothwendig war,* cum nota ad ep. I 1–3:

Ipse iam quae e poetae verbis iure meritoque colligi posse mihi videantur prolaturus singula argumenta Friedlaenderi argumentationi obicienda suo quodque loco adponam.

Ac primum quidem animum quaeso advertamus ad ep. I 3, 117, 118. E quibus ultimum nos docet Martialem profecto libellum iam antea in publicum dedisse centum epigr. gerentem. Quem libellum ut eundem credam fuisse atque illum, cui ep. I 3 inaugurandi gratia praescriptum erat, hac adducor ratiocinatione. Libellum istum, cuius in fronte erat positum I 3, epigrammaton copiam haud ita magnam complexum esse prorsus certo sequitur ex eo quod v. 2 poeta eum appellat *parve liber*: nostrae enim editionis librum I epigrammata continentem 117 sic esse nuncupatum a poeta praefracte nego; nam re vera discrevisse Martialem voces et *librum* et *libellum*. obiter iam quicunque libellos inspiciet pro certo habebit.[3]) Idemque iure eodem dicendum est de ep. I 117 (v. 3 *epigrammaton libellum*). Quae cum ita sint, ep. 3 et 117 una cum ultimo libr. I disticho in libello exstitisse primum a poeta in lucem misso eoque e centum epigrammatis[4]) composito exploratum habere haud dubito. Primum dico in lucem misso: nam verbis illic mirum quantum timidis pavidisque poeta librum e scriniis egressurum prosequitur; benevole recepto libro illo I sequentiumque fortasse uno alterove animi illam anxietatem prorsus evanuisse videmus: ep. iam III 95 *ore se legi multo* gloriatur poeta *notumque per oppida nomen non expectato sibi famam dare rogo*; nec

M.'s Epigramme waren hiernach durch Abschriften, wie sie M. selbst II 5 — ?, immo 6 — *(vgl. auch* I 101) *erwähnt, in- und ausserhalb Roms schon viel verbreitet, ehe er sich selbst zur Sammlung derselben und* ***Herausgabe, zunächst in zwei Büchern****, entschloss.*

[3]) Cf. in primis X 1 [2]; XI 1 [5]; liber XI epigrammata gestans 108 *tam longus libellus* vocatur (108 [1]) al.

[4]) Librum quoque III eundem epigrammaton numerum exhibentem versu 5 *parve liber* adloquitur.

unquam resuscitatam eam invenimus.[5]) Quocirca caveas ne ep. 3 eo demum tempore esse ortum credas quo immutatus liber I iterum iam ederetur (cf. seq. pg.). Vides simul eam ipsam ob rem ep. I 1 (et ep. 61? cf. adn. 5) quodam certe temporis spatio seiunctum fuisse ab ep. 3.

Hoc cum satis constet poetam capto evulgandorum librorum consilio unum tantummodo initio illum centum epigrammaton libellum foras dedisse, cetera iam priorum librorum poematia quae quidem inquirenti indicia offerant in contemplationem depromamus; examinemus igitur ep. I 66; 117 (ultimos vers.); II 1; III 1 praeterque illa ep. XIII 3.

Aliquoties cum Martialis primo in libro de libellis loquatur (cf. I 4^{1}; 29^{1}; $35^{3.14}$; 45^{1}; 52^{2}; $53^{1.11}$; 66^{1}) nec tamen intellegendos esse eosdem atque in epistula I epigrammatisque 1 et 2 statui posse veri simile sit, quaestionem moveamus necesse est illam quosnam istic intellexerit poeta. Lucem afferre videntur primi ep. 66 versus hi:

Erras meorum fur avare librorum,
Fieri poetam posse qui putas tanti,
Scriptura quanti constat et tomus vilis.
Non sex paratur aut decem sophos nummis.

Quibus versibus usus Birtius l. c. pg. 82/83 contenderat chartam illam ad perficiendos singulos Martialis libellos adhibitam tomum fuisse vilem sexque constitisse vel plurimum decem sestertiis, alioque loco (pg. 209 adn. 2) hunc in modum erat ratiocinatus: *Es würde zu einem Martialbuch demnach der Papyrus 6 Sesterz, der Schreiberlohn 10 Sesterz betragen, oder umgekehrt — da der Dichter hier möglicherweise chiastisch redet — die Gesammtherstellungskosten des Buches ohne paenula also*

---

[5]) Ep. enim III 2 iocatur poeta. Altera ex parte cf. in primis ep. V 13; 15; 16; VI 61; 64; 82; VII 88; 99; epistulam libro IX praescriptam; IX 97; X 2; 3; 9 etc. — Fortassis in libri IV tempus (cf. pg. 87) ep. quoque cadit I 61 (cf. v. 12).

4 Denare, während der Ladenpreis mit pacnula zu 5 Denaren stieg (Mart. I. 117, 17): beide Angaben stimmen, wie man sieht, sehr gut zu einander, falls man meiner Interpretation folgt: quae sententiae comprobari nullo modo possunt. Nam — ut omittam quae iam Friedl. perbene mirae Birtii sententiae de v. 4 prolatae (aut = et) opposuit, cf. adn. ad I 66 3/4 — Birtius mire illud enorme inter libellos I et XIII pretii discrimen nullo modo probabili explicare potest: teneas enim necesse est constanter virum illum doctum cum chartae concedat vilitatem haudquaquam loqui de libello I eximie culto: papyrum igitur si dicit ad conficiendum talem libellum consumendam una cum mercede scribae danda 6 + 10 vel 10 + 6 i. e. 16 sestertiis constitisse, libellus vero XIII prorsus ad edendum paratus quattuor iam sestertiorum[6]) pretio emi poterat expressisque confitetur verbis poeta librarium, etiamsi duobus eum venditurus sit sestertiis, lucrum nihilo secius esse facturum, nemo pretia illa immensa et papyro et scripturae libri I statuta cum pretio pro isto minimo libelli XIII plane non consentientia apte explicare poterit. Nam dimidio fere tantum minor est Xeniorum libellus (acceditque huc quod tum cum componeretur ep. 117, in libro I certe nondum totidem atque postea erant poematia). Optume insuper cum libri XIII

[6]) Sestertios enim tantum I 66 et XIII 3 intellegi posse ex indiciis apparet quae de nummorum appellatione ad nostram usque aetatem servata sunt. Plauti iam tempore *nummos* nuncupatos esse κατ' ἐξοχήν sestertios Brixius repetit e Trinummi v. 844/45. E Mommseni quaest. numm. discimus (pg. 199) et in universum lamellis aureis argenteisque ut ab aereis discernerentur nummorum nomen inditum fuisse et sestertium nummum — certe inde a Catonis tempore: adn. 83 — κατ' ἐξοχήν *nummum* appellatum esse. Cf. eiusd. verba pg. 202 allata et Heinrichii ad Juv. XI 17 sq. notam hanc: *Wo Römer sprechen und vom Römischen Münzfuss die Rede ist, wie hier, ist nummus, von bestimmter Geldsorte gesagt, niemals etwas anderes, als nummus aereus, nämlich sestertius.* Quae verba non infringuntur Mart. ep. II 57.

pretio congruit quod Statius silv. IV 9[8] uno stetisse decussi (i. e. $2^1/_2$ sestert.) libelli IV chartam memorat, ita ut liber iste (724 v. gerens) paenula instructus atque umbilicis, septem fere ni fallor sestertiis emi posset. Quae cum ita sint et *epigrammaton libellum* istum I 117[3] memoratum (i. e. librum I primum editum) maximo illo quinque denarium pretio eximium ob cultum (v. 16) constitisse elucet et ep. 66 de duabus loqui poetam editionibus pro pretii v. 4 allati discrimine diversis (cf. Birt. pg. 209 adn. 2) pro certo affirmabimus.[7]) Vix igitur opinor fieri potest quin sic statuamus: tomum, ait poeta, vilem (v. 3) i. e. volumen papyraceum litteris nondum opertum[8]) licet emeris aut maiori meae editioni respondentem aut minori, ita ut si scriba maiorem illum tomum epigrammatis ex editione desumendis maiore mea replendum a te acceperit, decem sestertiis, si minorem illi ut minorem meum librum transferat dederis, sex tibi sestertiis charta illa constiterit ad edendum expedita, noli tamen poetam te ista iam impensa factum esse credere. Vera igitur illic duorum diversorum Martialis librorum intellegenda esse pretia cum in aperto sit quaeremus protenus, quot utraque charta gesserit epigrammata. Si memineris Xeniorum libellum e versibus ca. 400 (adsumptis nimirum lemmatis) compositum quattuor stetisse sestertiis, facile mecum computabis sex sestertium pretio emptum esse librum versus continentem fere 600 i. e. libellum centum circiter epigrammaton (secundi libri ep. 93 versus

[7]) Friedlaenderus quod in adn. ad ep. I 66 aut meram ad libidinem excogitata a poeta esse pretia illa dicit aut licuisse bibliopolam libellum I vilissime quidem attamen diverso modo cultum pro isto cultu sex decemve sestertiis — unum dices non magis esse veri simile quam alterum. Nam — priorem sententiam omitto — si duas libri I editiones diverse exornatas illic intellegendas esse sumeremus, tres eiusdem libelli editiones inter se diversas in lucem missas esse concederemus necesse esset: quod parum esse credibile vides.

[8]) Volumina emi poterant in chartopolarum tabernis ita iam instituta ut ilico litterae inseri possent, de qua re cf Birt. l. c. pg. 132.

efficiunt 545; tertii libri ep. 100 versus 648 etc.). Decem vero serstertiis librarium vendidisse volumen cui poetae inscripti fuerint duo libelli centenorum uterque epigrammaton coniecerim ex ep. II 1 et I 4 una cum III 1. [9]) Epigrammatis III 1 versus 3 *Hunc legis et laudas librum fortasse priorem* et 6 *Debet enim Gallum vincere verna liber* nusquam apte possum referre nisi ad editionem illam duos priores libellos amplectentem, quam editionem facillime librum appellari posse (sic iam Friedl.) nemo in dubium vocabit. [10]) Huc accedit quod primi ep. II 1 versus:

Ter centena quidem poteras epigrammata ferre,
Sed quis te legeret perlegeretque, liber? —
At nunc succincti quae sint bona disce libelli —

apte intellegi non possunt nisi ad tomum relati duos centenorum epigr. libros concludentem. Talis enim est in eo sententiarum conexus ut altera ex parte fuisse illud epigr. in charta ducenta epigr. complectente (v. 1/2) nobis persuadeamus oporteat; altera vero ex parte versus sequentes docent ipsum illud epigr. inaugurasse partem tantum alteram libri memorati: si enim ad librum illum ducentorum epigrammatum referendum esset, certe non toties gracilitatem libelli cuius in commendationem praescriptum est II 1, tetigisset poeta (cf. v. 3/4; 5; 11; 12.). Ne pluribus te teneam, statuendum esse censeo chartam illam maiorem decem constantem sestertiis compositam fuisse e libro I iam antea edito adiecto altero libello novorum centum

---

[9]) Duos enim libellos uno in volumine exstantes, cum neque umbilici accederent neque altera paenula (de qua insp. Birt. pg. 64 sq., 209 adn. 2), paullo vilius venisse quam duplo alterius pretio consentaneum est.

[10]) Non comprobabitur a viris doctis mira illa Gilberti interpretatio in annal. phil. rec. vol. 135, fasc. 2, pg. 144 prolata (III 1 v. 3: *und lobst vielleicht ein anderes Buch (d. h. eines der früheren Bücher.*

epigrammatum ex arca modo desumptorum.[11]) Inaugurabat denique maiorem illum tomum ep. I 4.

Ep. I 44 — id quod Friedl. in hist. mor. III[5] pg. 429 voluerat — ut de eadem atque ep. I 66 cet. editione dictum esse opinemur nulla cogimur argumentatione; videntur e contrario in chartis illis nulla alia epigr. fuisse inscripta nisi quaedam leonum solummodo cum leporibus lusus celebrantia. Certius ne iudicemus versus vetant male obscuri.[12])

Tempora denique si requiris quibus et liber I primum poetae scrinia deseruerit et libri I. II. iunctim editi sint nulla quae priorem quaestionem solvant indicia invenies; dici tantum potest hoc: si ep. I 101 tempore iam libelli I singillatim foras dati compositum erat, liber I non ante exeuntem a. 81 in bibliopolae tabernam venisse potest. Libros vero I et II iunctim evulgatos esse non ante annum 84 ex ep. I 4 v. 7 evincere licet: fortasse ipso anno 84 qui nescio an optume commendetur eo quod v. 3/4 poeta aperte de triumpho Chattico modo ut mihi videtur acto cogitat.

Restat denique ut quibus temporibus publicati sint libelli I et II cum separati in eamque quam exinde prae se ferunt formam immutati iterum ederentur paucis disseramus.

Stobbeum et antea iam Borghesium ex ep. II 93 scis conclusisse Martialem cum ederet librum II retinuisse paulisper librum I, sed haud multo post evulgasse, cui sententiae Friedl. et in hist. mor. III[5] pg. 425 et in ed. I pg. 53 et adn. ad II 93 adstipulari se posse negat; non

[11]) Quae si pro explorato habemus optumum praebent sensum versus II 1 v. 1 et 2 : 3 — libellus I cum dudum notus esset non iam egebat nec descriptione nec commendatione — et v. 7/8, ubi *sis licet usque malus* ad libellum II solum referre non dubitabis respectu habito epigrammatum libri istius in primis et mordacium et obscenorum.

[12]) Cf. de ep. I 44 Gilbert. phil. XLI pg. 363; Birt. l. c. pg. 150 adn. 1; Friedl. adn. ad I 44[2].

posse, utroque ait loco, repeti ex ep. II 93 verbis Martialem perfectum librum I retinuisse interimque secundum librum in lucem misisse; ep. II 93 sine ullo negotio sic intellegi posse, ut inde deducatur poetam Regulo secundum tantum libellum (littera II iam notatum) obtulisse, ita ut facile ille ubi esset primus percontari posset.

Quod et per se minus videtur credibile et infirmatur insuper tolliturque si quid video ep. I 111:

Cum tibi sit sophiae par fama et cura deorum,
Ingenio pietas nec minor ipsa suo:
Ignorat meritis dare munera qui tibi librum
Et qui miratur, Regule, tura dari.

Vides ex epigr. allato poetam pietate Reguli sapientiaque adductum se esse confiteri ut amico illi potenti saepius laudibus ab eo elato maximis [13]) — Saturnalium fortassis diebus (VII 31), quo tempore talia munera amicis patronisque missa esse scimus ex ep. V 18 1/4; IV 46 1/7; XIII 4 al. — tura dono offerret epigrammatonque quemlibet libellum; nam hic sicuti V 18 de libro tantum ab ipso poeta composito cogitari posse exploratissimum mihi est. Concessa vero ista rerum condicione quaestio iam existit, qui fuerit libellus iste a poeta Regulo datus. Quam quaestionem ut ad exitum deducamus prosperum accersemus huc ep. II 93:

‚Primus ubi est‘ inquis ‚cum sit liber iste secundus?‘
Quid faciam, si plus ille pudoris habet?
Tu tamen hunc fieri si mavis, Regule, primum,
Unum de titulo tollere iota potes.

Collatis inter se ambobus epigrammatis (si quidem Friedlaenderi sententiam de mutua priorum II librorum ratione foras missorum iustam rectamque esse tenaciter asseveras) difficultatem agnosces exoriri haud parvam: licet enim libellum istum Regulo missum aut primum fuisse sumas aut secundum, neutiquam Friedlaenderi opinio

[13]) Cf. ep. I 12; 82; IV 16⁶; V 28⁶; 63⁴; VI 38¹⁻⁴; 64¹¹.

stare potest: si primus liber intellegitur, sensum omnino nullum praebet II 93, nisi I 111 post II 93 scriptum, librum igitur I (cum II 93 novissimum aperte libri II sit epigr.) post II editum esse statuimus; si secundus — id quod mihi multo videtur credibilius ea iam de causa quod nullum exstat in libro I epigr. ad Regulum dedicandi libri illius causa compositum — prorsus liquet ep. I 111 eamque ipsam ob rem totum libellum I post librum II foras esse missum.

Quin etiam satis certe, quonam tempore librum I retractatum dimiserit poeta, dispicere mihi videor. Tum enim cum scriberetur ep. III 1 — i. e. confecto libro III [14]) — aperte nondum seiunctim in publicum erant dati I et II (cf. v. 3 et 6); altera vero ex parte primum vestigium e quo discimus libros illos iam esse dissociatos in ep. apparet V 2^{3-6}:

Tu quem nequitiae procaciores
Delectant nimium salesque nudi,
Lascivos lege quattuor libellos:
Quintus cum domino liber iocatur q. s.

Quocum conferas eiusd. libr. ep. 15^1.

Tempore igitur libri IV poetae liber I adeo erat perpolitus [15]) ut dignus ei videretur qui confidentius legentium iudicio offerri posset; ipsumque hoc in tempus praeter alia (ep. I 61? cf. adn. nostr. 5) ep. quoque I 111 cadere putarim.

Quae argumentatio utrum fulciatur aliquantulum ep. I 59 et 62 necne haud ausim diiudicare. Scimus Mar-

[14]) Quae in fronte libr. III posita sunt epigr. novissime sunt conscripta; ea quae res Romanas respiciunt, iam antea: nam confectus liber III e Gallia Romam missus est; cf. III 1 1/2; 4 1/2; 5 1/2.

[15]) Librum I, cum epigr. contineat multo plura quae res spectent ipso eo tempore actas, maiorem expetiisse poetae curam eaque de causa paulisper esse retardatum facile mihi persuaserim; libri vero II maior pars cum epigrammata sint prioribus iam ut videtur annis conscripta (bene Friedl. hist. mor. III[5] pg. 428; ed. I pg. 53), minorem exigebat diligentiam.

tialem tempore libr. IV Baiis versatum esse (IV 30; 44; 57; (60?); 63); observatione igitur sane dignum est[16]), quod bis in libr. I Baiarum mentio fit: e priore epigr. prorsus dilucide apparet poetam Baiis cum illud scriberet moratum esse; nec minus res in altero epigr. derisa praesentem videtur movisse poetam ut epigr. illud componeret.

Breviter igitur quae modo protuli comprehendenti haec mihi de prioribus editionibus a Martiale factis dici posse videntur:

1) Epigrammatum copia,

a) compluribus iam annis ante ed. primam ortorum,

b) non multo ante compositorum.

2) libellus I centum epigrammatum; praeter al. ep. I 3; 117; 118; cf. I 66.

3) libri I et II, uterque centum epigr.; distincti quidem, sed unum conficientes tomum; ep. I 4; 66; II 1; cf. III 1.

4) liber II singillatim emissus; ep. II 93: I 111.

5) liber I singillatim editus, tempore libr. IV; ep. I 111: II 93; I 59 et 62.

6—10) libri sequentibus annis singillatim editi III—VII.

11) collectio priorum VII libr. anno 93 facta; epistula I; I 1; 2; VII 11; 17; VIII 3.

---

16) Praesertim cum persaepe poetam Baiis fuisse vix sit credendum: desunt epigrammata, in quibus de Baiis rebusve illic actis sermo sit: cf. epigr. supra allata et X 58^{1-5}. Sed cf. quoque VI 43^{5-8}.

I. Index capitum.

II. Index locorum.